

University of Dayton

eCommons

Rare Books

University Libraries

1904

Tractatus de conceptione sanctae Mariae

Eadmer

Follow this and additional works at: https://ecommons.udayton.edu/ul_rare_books

Sadmerus

De Conceptione

Sanctae Mariae



MAR. LIB.
BT
620
.E22
1904





THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

DE CONCEPTIONE SANCTAE MARIAE

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

P. Innocentius Propertius, O.M.
EADMERI MONACHI CANTUARIENSIS

TRACTATUS
DE CONCEPTIONE
SANCTAE MARIAE

OLIM SANCTO ANSELMO ATTRIBUTUS
NUNC PRIMUM INTEGER AD CODICUM FIDEM EDITUS
ADIECTIS QUIBUSDAM DOCUMENTIS COAETANEIS

A

P. HERB. THURSTON ET P. TH. SLATER
SOCIETATIS IESU SACERDOTIBUS

EX LIBRIS

P. AMBROSII POCEK

FRIBURGI BRISGOVIAE
SUMPTIBUS HERDER

TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII

MCMIV

VINDOBONAE ARGENTORATI MONACHII S. LUDOVICI AMERICAE

MAKIAN
LIBRARY



~~26102~~ 1

Imprimatur.

Friburgi Brisgoviae, die 27 Augusti 1904.


‡ Thomas, Archiep̃ps.

BT
620
.E22
1904

Nihil obstat.

Die 29 Iunii 1904.

Ricardus Sykes S. J., Praep. Prov. Angliae.



Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae.

46702

MARIAE IMMACULATAE
MATRI DULCISSIMAE

AMORIS FILIALIS PIGNUS
HOC QUALECUMQUE OPUS DEDICANT

AUCTORES

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
540 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637

INDEX.

	pag.
Praefatio	ix
De tractatuli auctore et de appendicibus	xx
De Conceptione Sanctae Mariae	1
Appendices :	
A. Epistola Osberti de Clara ad Anselmum iuniorem	53
B. Epistola Osberti de Clara ad Warinum	60
C. Eiusdem Sermo de Conceptione Sanctae Mariae	65
D. Benedictiones etc. in festo Conceptionis	84
E. De Conceptione S. Mariae qualiter primo celebrandi habuit initium — auctore Pseudo-Anselmo	88
F. Eadem narratio auctore Anselmo iuniori (?)	93
G. Eadem narratio auctore Gulielmo Malmesburiensi	96
H. Narratiunculae quaedam de festo Conceptionis	99
I. Notula de Anselmo iuniori	102

INDEX

1. The general nature of the problem
2. The general nature of the problem
3. The general nature of the problem
4. The general nature of the problem
5. The general nature of the problem
6. The general nature of the problem
7. The general nature of the problem
8. The general nature of the problem
9. The general nature of the problem
10. The general nature of the problem
11. The general nature of the problem
12. The general nature of the problem
13. The general nature of the problem
14. The general nature of the problem
15. The general nature of the problem
16. The general nature of the problem
17. The general nature of the problem
18. The general nature of the problem
19. The general nature of the problem
20. The general nature of the problem

PRAEFATIO.

Pulcherrimus idemque ordine temporis primus *Tractatus de Conceptione Beatae Virginis Mariae* hoc in libello primum integer, emendatus ac proprio auctori vindicatus lectori offertur. Pluries quidem antea mutilatus fuit impressus, saeculo XVII a Bivario, a P. Raynaud ac magis integre ad fidem saeculi XIII et temporis subsequentis manuscriptorum a Dom Gerberon; denique proxime praeterito saeculo iuxta textum Benedictinum a Migne et a P. Hurter. Hic tamen in sua praefatione ultro est confessus: „Dolendum deesse manuscripta, quo correctius et emendatius libellus hic edi possit. Adsunt enim lacunae nonnullae, alias contextus sat est perplexus et medicae manus indigus videtur.“¹

Plura huius operis manuscripta in Anglia exstant, inter caetera vero praestat manuscriptum n. 371 in Collegio Corporis Christi Cantabrigiensi asservatum. Quod manuscriptum certo ad saeculum XII pertinet,

¹ SS. Patrum Opuscula selecta XII, Praef. p. 9.

immo valde probabiliter auctori est coetaneum. Hoc vero, collatum a P. Thurston cum aliis codicibus, qui in Museo Britannico Londinii, et in Bibliotheca Bodleiana Oxonii inveniuntur, textum nostrum efformat¹.

Primus hic tractatus, quo immaculata Beatæ Virginis Conceptio expresse defendebatur, maximum influxum in controversiam exercebat, quæ sæculo XII de præclarissima Mariæ prærogativa oriebatur. Cuius influxus aliqua lineamenta adumbrare facili sermone in hac parte præfationis conabor, cum quaestio de auctore opusculi a P. Thurston sit tractanda.

Nullum quidem adest indicium, fuisse hoc opusculum Sancto Bernardo notum, cum epistolam ad canonicos Lugdunenses (ep. 174) scriberet. Attamen paucos post annos eius vestigia aliqua, ni fallor, inveniuntur in controversia, quæ de immaculata Conceptione oriebatur inter Petrum Cellensem ac Nicolaum monachum Sancti Albani in Anglia, qui immaculatae Virginis Conceptionis acerrimus erat propugnator. „Hic“, ut ait Pitseus², „cum partim a viris doctis didicisset, partim propter pium in Beatam Virginem Mariam affectum et in Christum Servatorem reverentiam crederet matrem filii Dei sine originali peccato fuisse conceptam, nec convenire ut aliter conciperetur; ad hanc in illa prærogativam probandam nonnumquam disceptationes habuit, et efficaces rationes, validaque argumenta ad hanc suam sententiam corroborandam indagavit.“ Prima Nicolai epistola

¹ *Hunc codicem notamus numero 1, ceteros, 2, 3, 4.*

² *De illustribus Angliæ scriptoribus, ad annum 1140.*

ad Petrum Cellensem deest, sed ex responso Petri scripto circa annum 1172 aliqua ex dictis Nicolai colligere licet. Ex quibus quaedam aliquibus incisus huius tractatus sunt simillima. Conferat exempli causa benignus lector locos sequentes:

Dicta Nicolai.

1. „Tu contendis honorare conceptionem et ego praedestinationem ac totam eius retro progeniem; tu rosam, ego etiam spinam; tu florem et fructum; ego corticem et folium.“ Ep. 171, l. 2, Petri Cellensis. *Migne*, Patr. lat. CCII 615.

2. „De proposita quaestione, Deus cum omnia possit, non potest de corrupta virgine facere incorruptam; valet quidem liberare a poena, sed non valet coronare corruptam.“ Ib. 620.

3. „Immo vehementius, ne dicam immoderatus. Totum te expendis in laude Virginis.“ Ib. 615.

Tractatus de Conceptione.

1. „Castaneam nucem attende. . . . Si deus castaneae confert ut infra spinas a spinis remota concipiatur“ etc. Pag. 10.

2. „Non potuit dare corpori humano quod ipse sibi templum parabat . . . ut licet inter spinas peccatorum conciperetur, ab ipsis tamen spinarum aculeis omnimodis exors redderetur? Potuit plane. Si igitur voluit, fecit.“ Pag. 11.

3. Cf. pag. 17 22 31 42 46 etc.

4. „Cum in calculo epistolae tuae asseras, nullatenus te posse moveri ab eo quod scripsisti, dicens — Quod dixi, dixi, quod scripsi, scripsi.“
Ib. 617.

4. „Quae dixi dico; quae scripsi non muto.“
Pag. 16.

Unde Nicolaum tractatum nostrum vidisse, immo forte ex eo aliquid ad suam sententiam stabiliendam hausisse concludere licet.

Usque ad Scotum maximi quique Scholae magistri, exemplo Sancti Bernardi forte seducti, ne statum quidem quaestionis sibi clare proponere videntur, ubi de exemptione Beatae Virginis Mariae ab originali peccato disserunt. Maxime prae oculis eorum versabatur conceptio eius activa. Ita enim explicat originem controversiae de celebratione festi Conceptionis Beatae Mariae Ioannes Bacho illi aetati proximus: „Contrarietas de ista celebratione sic est exorta; quidam enim respiciunt ad hoc quod per concubitum fuit genita, et concepta; et cum inveniant communiter auctoritates utriusque canonis et sanctorum dicere, quod ut sic contraxit originale, sicut et omnes alii per concubitum geniti, dicunt quod istud festum non sit celebrandum.“¹ Unde vix mirum si a vero aberrarunt. Sanctus quidem Bonaventura aliquatenus excipitur. Quaestionem enim magis ad rem spectantem proponit in l. 3, dist. 3, p. 1, a. 1, q. 2: „Utrum

¹ Quodlib. l. 3, q. 14: *S. Bonaventurae Op.* ed. recent. III 64.

anima Beatæ Virginis sanctificata fuerit ante originalis peccati contractionem.“ Cum opinione tunc communi tradit Doctor Seraphicus probabilius esse Beatam Virginem sanctificatam post contractum originale peccatum. Ac quamvis dicat: „Nullus autem invenitur dixisse de his quos audivimus auribus nostris, Virginem Mariam a peccato originali fuisse immunem“, admittere tamen probabilitatem alterius sententiæ videtur, cuius argumenta clare proponit. Inter hæc argumenta pro vera sententiâ nunc de fide definita duo ponit quæ in nostro tractatu elaborantur. Sanctus quidem Bonaventura auctorem eorum nullum expresso nomine affert, at haud sine fundamento eum hausisse eadem ex hoc tractatu coniectari posse videtur.

Postea sententiâ vera, ut omnibus est notum, a Scoto tamquam probabilior defendebatur, ac in dies eius defensorum numerus continuo augebatur. Usque ad aetatem Scoti, quantum sciam, a nullo theologo primario tractatus noster expresso auctoris nomine fuit allegatus; initio tamen sæculi XIV quidam theologi magni nominis eum citant, communiter tamquam foetum Sancti Anselmi. Ita Anglus Bacho († 1346), Doctor Resolutus, Ordinis Carmelitani decus ac conceptionis immaculatae propugnator præcipuus, primaria argumenta ad sententiâ veram stabilendam ex nostro tractatu desumit, eundemque attribuit Sancto Anselmo. Modus tamen quo illud facit, demonstrare videtur eum hactenus tamquam Anselmi communiter non esse agnitum. Ita enim in l. 4, dist. 2, q. 3, a. 3 scribit: „Et ideo licet Anselmus 2 *Cur Deus homo*, c. 16, et *De Conceptu virginali*, c. 16 et 18, as-

serat quod concepta erat in originali, tamen in libro de conceptu eius probat quod mater Christi non contraxit. Hunc librum vidi in multis locis, et ponitur in libro, qui est de vita Beatae Mariae, qui vocatur Magnum Mariale.“ Animadvertat lector, quomodo differat modus laudandi nostrum tractatum et opera *Cur Deus homo* et *De Conceptu virginali*, quae ab omnibus allegata Anselmi esse bene fuit cognitum. Iterum idem auctor Quodlib. 1. 3, q. 13 haec habet: „Tenet Anselmus quod non contraxit, in tractatu qui intitulatur *De Conceptione Beatae Mariae Virginis*; et istum librum inveni primo in domo fratrum Minorum Cantabruget., et postea inveni Parisiis eundem tractatum in manu unius communis stationarii, et incipit liber sic: *Principium quo salus mundi*“, etc.

Si negamus librum ita a praeclaro theologo allegatum aut communiter notum aut tamquam ab Anselmo scriptum communiter agnitum, haud a vero aberrare videbimur. Fortasse igitur tractatum nostrum tunc primo Sancto Anselmo attribui esse coeptum concludere licet, tunc certe primo in controversia de conceptione Beatae Mariae pro maxima aestimatione qua Anselmus ab omnibus habebatur, ac pro merito libelli intrinseco magnas habere partes idem inceptit.

Saeculo xvii Petrus de Alva plus quam centum octoginta auctores numerare potuit qui tractatum esse Sancti Anselmi affirmarent. Inter hos plerique, quin ullum dubium de re exprimant, tamquam Anselmi tractatum citant, ut Petrus de Aquila¹ et

¹ In l. 3, dist. 3, q. 1.

Anglus Gulielmus Lyndwood¹. Lyndwood quidem in commentario in legem Simonis Mepham, archiepiscopi Cantuariensis, quae statuebat festum Conceptionis Beatae Mariae quotannis celebrandum, cuius primam institutionem Sancto Anselmo tribuit, haec inter alia habet: „De hac Conceptione sic ait Anselmus in libro *De Conceptione Virginis gloriosae*. ‚Palatium, inquit, Imperatoris delicatis usibus construendum vitat fundamentum luculentum et invalidum, sed forti, nobili et firmo fundamento totum submittitur regale aedificium: sed sapientia Dei ante omnia saecula Mariam sibi proposuit in habitaculum construere, si ergo aliqua alicuius peccati macula eius conceptio corrupta fuit, tunc fundamentum habitaculi Dei structurae superstratae nec congruebat, nec sufficebat, nec cohaerebat, sed distrahebat.‘ Et sequitur ibidem: ‚Videor mihi, inquit, videre quod si quid originalis peccati in propagatione matris Dei extitit, propagantium parentum, non propagatae prolis fuit.‘ Ex hoc loco apparet Anselmum velle innuere, quod concepta fuit Virgo Maria sine peccato originali.“²

Fatendum tamen est fuisse semper aliquos, nec infimae notae, theologos qui vel dubitarent vel expresse tractatum nostrum esse Anselmi negarent. Ioannes de Neapoli (1330) testatur, „quod de illo libro Anselmi nihil certum habetur, praecipue cum magni

¹ Provinciale l. 2, tit. 3, in cap. *Ad haec*. Gulielmus Lyndwood, celeberrimus canonista et episcopus Menevensis (St. David's), anno 1446 mortuus est.

² Ib. l. 2, tit. 3, litt. k; cf. hic p. 10.

doctores, qui dicunt Virginem non fuisse conceptam in peccato originali, talem librum pro sua opinione non allegent¹. Durandus a Sancto Porciano etiam commemorat tractatum nostrum, et tamquam Anselmo attributum; at postea dicit: „Item Anselmus 2 libro *Cur Deus homo*, dicit quod Virgo ipsa in iniquitatibus concepta fuit: si autem postea aliud sensit, non legi, nisi in quantum sonat auctoritas quaedam prius allegata², scilicet, ex libro *De Conceptu virginali*. Audierat igitur Durandus de nostro tractatu, quem tamen nec legerat nec, ut videtur, viderat, aliter enim hunc cum libro *De Conceptu virginali* non confudisset. Ioannes vero de Turrecremata in tractatu *De veritate Conceptionis Beatissimae Virginis pro facienda relatione coram Patribus Concilii Basileae*, 1437, expresse negat tractatum nostrum esse Sancti Anselmi, ac refert se audivisse „a quodam baccalario in theologia formato de Anglia nuper transeunte in Curiam Romanam, quem de hoc libro interrogavi, qui dicit quod talis liber non tenetur in Anglia esse Anselmi, nec in scholis theologiae pro tali suscipitur³.

Quae tamen aliqualis dubitatio inter theologos antiquos an esset Anselmi non prohibuit, quominus, ut iam dictum est, noster tractatus magnam auctoritatem in controversia de immaculata conceptione per plura saecula iure sibi vindicaret. Inter plurimos enim et magnae molis libros quos posteriora saecula pe-

¹ Apud *Capreolum* in l. 3, dist. 3, q. 1, a. 3.

² In l. 3, dist. 3, q. 1.

³ P. XII, c. 10.

pererunt, hic primus tractatus a monacho Anglo initio saeculi XII scriptus infimum locum nequaquam occupat. Totum enim opusculum commentarium optimum exhibet loci illius classici in libro Sancti Anselmi *De Conceptu virginali*, c. 18: „Decens erat ut ea puritate qua maior sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius.“

Totus tractatus, inquam, hunc locum Sancti Anselmi praeclare illustrat, evolvit, argumentis solidis corroborat, eiusque fere verba ipsa non semel repetit. Simul etiam in antecessum solvit praecipua argumenta quae postea apud maximos theologos praevaluerunt, ut conceptionem immaculatam negarent.

Iam dictum est theologos antiquos conceptionem intellexisse sensu activo, ita ut, quatenus ab omnibus admitteretur Mariam Virginem a parentibus naturali modo esse genitam, quasi necessitate compulsi concluderent eius conceptionem esse non posse sine macula originali; regula enim Augustini ab omnibus erat approbata, qui dicit: „Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri et mulieris concipitur, cum originali peccato, impietati subditum, morti subiectum, et ob hoc natura irae filium nasci.“¹

¹ De Fide ad Petrum c. 26. *Capreolus* in l. 3, dist. 3, q. 1, a. 1. Decretum Gratiani c. 3, dist. 4, de consec.

Quam difficultatem perbelle solvit auctor noster, admittens id quod postea vocabatur in Maria debitum contrahendi peccatum originale, negans tamen exinde sequi eius conceptionem passivam originali peccato esse maculatam (p. 10).

Aliud argumentum adversarii postea petebant ex verbis Sancti Pauli ad Romanos (5, 12), „in quo omnes peccaverunt“, nullam exceptionem permittentibus¹.

Quod etiam egregie solvit auctor, negando Mariam contineri intra omnes, cum inaestimabili modo omnia creata per gratiam Dei superet (p. 12).

Denique difficultatem maximam contra conceptionem immaculatam Beatae Virginis Mariae faciebat doctrina evangelica iuxta quam Christus Dominus est Salvator omnium hominum. Si vero Beatissima Virgo sine culpa originali esset concepta, Christi redemptione non indignisset².

Quam difficultatem solide auctor refutat, docendo Beatae Virginis immunitatem a peccato, dignitatem, gratiarum abundantiam esse a Filio, et propter Filium; „ad hanc dignitatem nec Beatissima Virginum nec numerositas hominum electorum unquam ascendisset si Filius Dei ad destructionem peccati Adae de sinu Patris hominem ex ipsa Virgine assumpturus non descendisset“ (p. 32).

Quas difficultates aliasque quae contra conceptionem immaculatam Beatae Virginis moveri possunt, auctor breviter sed solide ac dilucide solvit, simul-

¹ *Capreolus* in l. 3, dist. 3, q. 1, a. 1.

² *Ibidem*.

que argumenta efficacissima ad veram doctrinam probandam proponit. Totum etiam opusculum quasi suffunditur pietate maxime solida, ac dilectione erga Mariam Immaculatam ardentissima, ita ut non tantum intellectum vincat, sed cor etiam suavissimo amore erga Matrem nostram purissimam accendat. Dignum sane opus quod recurrente quinquagenario anniversario a definitione Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ Immaculatae ab omnibus Mariæ devotis revolvatur.

TH. SLATER S. J.

DE TRACTATULI SUBSEQUENTIS AUCTORE.

Vir illustrissimus, Dom Gabriel Gerberon, Congregationis Sancti Mauri monachus, qui inter opera Sancti Anselmi tractatum *De Conceptione* edendum curavit, totus in eo est, ut eundem a sancto Doctore abiudicet et adulterinae prolis stigmatem notet. Cui quidem sententiae cum in tantum adstipuler, ut librum non Anselmo, sed Eadmero discipulo eius procul dubio attribuendum censeam, non tamen singula Gerberonii argumenta, quibus iudicium suum vindicare nititur, mihi ex aequo fide digna apparent. Iuverit fortassis ad historiam huius dogmatis de immaculata Mariae Conceptione enucleandam, si, rationibus Gerberonii exactius perpensis, qua ex parte claudicare videantur, legentibus breviter explicare studeam.

E triplici fonte argumenta petit editor Benedictinus, ut hunc tractatum Anselmo falso attribui demonstraret. Contendit primo hunc librum de Conceptione in quam plurimis et quidem optima notae codicibus deesse, immo si in uno et altero reperiatur qui nomen sancti Doctoris prae se ferant, haec manuscripta et numero esse longe pauciora et alios quam Sancti Anselmi tractatus continere. Secundo affirmat Gerberonius totam Sancti Anselmi doctrinam de peccato originali reclamare, ne ipsi sententiam attribuamus quae

in libro de Conceptione propugnatur. Tertio ipse tractatus, Gerberonio iudice, se non nisi post Anselmi tempora editum protestatur. Mortuus est enim Anselmus anno 1109, nec quisquam eius aetatis asserere potuit solemnitatem Conceptionis Beatae Mariae „priscis temporibus frequentiori usu fuisse celebratam“, nec ecclesiastica auctoritate sublatam esse, nec reluctantibus simplicibus et ferventioribus in nihilum redactam. Haec omnia Sancti Bernardi aetatem sapiunt, qui primus de conceptione Beatae Mariae anno 1140 controversiam movit. Unde concludit editor Maurinus tractatum hunc non ab Anselmo, sed ab alio recentiore compositum esse.

Quod ad primum argumentum attinet, non immerito censuisse videtur Gerberonius hunc tractatum inter rariores habendum, cum de sua patria potissimum et aliis regionibus cismarinis loqueretur. Exemplo sint locupletissimae illae bibliothecae Viennae in Austria et Monachii in Bavaria, in quibus, si catalogis codicum impressis, quos consulere potui, fides habenda est, ne unum quidem nostri tractatus exemplar manuscriptum asservatur¹. In Anglia vero crebrior occurrit huius libelli mentio, ut ex tabula sequenti patebit. Hic omnia exemplaria tractatus de Conceptione recensere curae fuit, quae in meam notitiam pervenerunt. Sigla indicant, quaenam opuscula prae ceteris cum tractatu nostro consociantur.

¹ Sat diligenter excussi omnes indices qui mihi ad manus erant in praeclarissima illa catalogorum serie („Catalogues des mss. des Bibl. publiques des départements de France“), quin semel in tractatuli nostri mentionem inciderim.

Tabula Codicum manuscriptorum.

In hac tabula sigla quae adhibui haec designant: * indicat in eodem codice reperiri tractatum Eadmeri *De excellentia Beatae Virginis*. † indicat in eodem codice reperiri sermonem Anselmo attributum in illa Evangelii verba, *Intravit Iesus in quoddam castellum*. ‡ indicat in eodem codice reperiri tractatus Sancti Anselmi de quorum authentia nulla movetur quaestio. § indicat codicem non continere alios tractatus Anselmianos seu pseudo-anselmianos.

1.	*	Cantabrigiae	Coll. Corporis Christi, ms. 371	s. XII
2.	* † ‡	Oxonii	Bib. Bodley, ms. Laud. 264	s. XIII
3.	§	Londinii	Mus. Brit., ms. Royal 6. B. X	s. XIII
4.	§	Londinii	Mus. Brit., ms. Sloane 1056. A impft.	s. XIII
5.	† ‡	Londinii	Bib. Lambeth, ms. 224 impft.	s. XIII
6.	§	Londinii	Bib. Lambeth, ms. 52	s. XIV
7.	‡	Etonae	Bib. Coll. Eton., ms. 120 ¹	s. XIV incip.
8.	* † ‡	Oxonii	Bib. Coll. Magdalen., ms. 56	s. XIV

Hos codices ipse evolvi. Quod ad reliquos attinet, ea tantum refero, quae aut in catalogis impressis notantur aut a bibliothecariis pro sua benevolentia mihi perscripta sunt².

¹ In catalogo impresso huius bibliothecae, a viro clarissimo M. R. James redacto („Catalogue of mss. in Eton College Library“, 1896), inter alios S. Anselmi tractatus et proxime post tractatum *De Conceptione* notantur haec: „14 Ad Innocentium Papam de Fulconio. 15 Ad canones Higden et Lugdun.“ Nescio quomodo factum sit, ut in his describendis tantum aberraverit editor peritissimus. Hae duae epistolae S. Bernardi sunt, 171 et 174 in editione Maurina, nec vox „Higden“ ullibi reperitur, sed tantum „Lugdun“, ita quidem exarata, ut „Higden“ lectori minus cauto posset suggerere. Epistola haec altera est illa notissima S. Bernardi ad canonicos Lugdunenses de conceptione S. Mariae.

² Gratias hic amplissimas reddere velim viris doctis qui ad mea quaesita benigne responderunt, praesertim C. W. Moule, Corpus Christi College, Cambridge; W. Greenwell, The Cathedral, Durham; H. S. Chignell, The Cathedral, Worcester.

	9.	†	Parisiis	Bib. Nat., ms. Lat. 13, 414 (olim Corbie) impft. ¹	s. XIII
	10.	*	{ Dunelmi } { (Durham) }	Bib. Eccles. Cath., ms. B. II. 26	s. XIII exeunt.
	11.	*†‡	{ Wigorniae } { (Worcester) }	Bib. Eccles. Cath., ms. 132	s. XIV incip.
	12.	* ‡	Edinburgi	Bib. Fac. Advocat., ms. 18. 5. 18 ²	s. XIV incip.
	13.	* † ‡	Oxonii	Bib. Coll. Merton, ms. 22	s. XIV
	14.	* † ‡	Oxonii	Bib. Coll. Merton, ms. 20	s. XIV
	15.	* † ‡	Cantabrigiae	Bib. Coll. Peterhouse, ms. 246 ³	s. XIV
	16.	* † ‡	Cantabrigiae	Bib. Univ., ms. 21 (Dd. I. 21)	s. XIV
	17.	* ‡	Oxonii	Bib. Coll. Lincoln, ms. 18	s. XIV
	18.	* † ‡	Wigorniae	Bib. Eccles. Cath., ms. 41	s. XV
IIIX	19.		Viennae	Monast. B. Mariae ad Scotos, ms. 318	s. XV
	20.	*	Cluniacensis olim, quem edidit Gerberonius ³		?

¹ De hoc codice videsis *Ragey*, Eadmer (1892) 265.

² Hic codex, ut ex animadversionibus clarissimi viri Henrici Schenkl colligo, continebat olim utrumque tractatum, scil. *De excellentia* et *De Conceptione*. Addit tamen: „Die Stücke 8, Anselmus *De excellentia*, und 9, idem *De Conceptione Virginis*, fehlen jetzt in der Handschrift.“ Quod quidem satis mirum videtur, cum ipse sub numero 5 eiusdem codicis recenset: „5 Meditatio peccatoris, beg. „Supereminentem omni quod post hominem Deum etc.““ Atqui his ipsis verbis incipit tractatus „*De excellentia*“. Vide *Sitzungsberichte der k. k. Akademie der Wissenschaften* zu Wien, Phil.-hist. Klasse vol. CXXXIII, VII, p. 7.

³ Dubitari vix potest, quin hic codex idem sit ac ille qui in catalogo Bibliothecae Cluniacensis, a Dom Anselmo Le Michel anno 1645 confecto, describitur. Videsis *Léopold Delisle*, *Manuscripts de Cluni* p. 385.

Praeter haec dubitari non potest, quin alia plura huius tractatus exemplaria in diversarum regionum bibliothecis lateant. Exemplo sint quae legimus in eximio opere „L'Histoire littéraire de la France“ (IX 444), ubi de catalogo operum Sancti Anselmi sermo est et inter alia recensetur: — „Un traité de la conception de la Vierge, qui lui est attribué dans plusieurs manuscrits de France et de l'Angleterre, et qui porte aussi son nom dans deux autres, l'un du Vatican, l'autre de la bibliothèque des Dominicains de Florence.“

In his omnibus codicibus, primo dumtaxat excepto, Anselmi nomen huic tractatui aut directe aut indirecte praefigitur, licet id nonnumquam manus recentior suppleverit. Ceterum animadvertat lector benevolus idem accidisse in codicibus, qui et multo plures sunt, in quibus continetur Eadmeri tractatus *De excellentia Beatae Mariae Virginis*. Eadmeri tractatus, dico, quia iam pridem hoc opusculum sub eius nomine a Gerberonio prelo datum fuit. Bene perceperat vir acutus huius libelli stilum Anselmi aequalitatem non prae se ferre. Praeterea in codice perantiquo, quem prae oculis potissimum habuit (Corbie E. 10), hunc titulum praefixum invenit: „Scriptum Eadmeri monachi discipuli beati Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi“. Hanc Gerberonii censuram de opusculo proxime allegato nemo quod sciam in dubium vocavit: quin et confirmari posset eius sententia multis argumentis, quae longum esset hic recensere¹.

¹ Hoc tantum animadverterit velim lector. Eadmero sollemne fuit de se ipso humillime loqui, ut de peccatore in-

Nihilominus ipso saeculo XII, ut videtur, coeperunt eiusmodi scripta Anselmo falso attribui; nam, ut de ceteris taceam, in codice Bibliothecae Tolosanae 482, qui secundum catalogum anno 1885 impressum isti aevo attribui debet, invenimus hunc titulum: „Sermo venerabilis Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi. Incip. ‚Super eminentem omni quod post hominem Deum natum est excellentiam‘ etc.“ Est, ut patet, notus ille Eadmeri tractatus *De excellentia Beatae Mariae Virginis*.

Iam vero e viginti codicibus qui modo recensiti sunt, continetur in tredecim non modo tractatus *De Conceptione* sed etiam Eadmeri liber *De excellentia*,

fimo et indigno. Videsis quae de ipso disserui in ephemeride *The Month* (m. Iul. 1904, CIV 1—4). Iam vero in aliquibus codicibus, ubi Eadmeri auctoris nomen nullibi apparet, immo ubi nomen Anselmi Archiepiscopi in eius locum substitutum est, retinetur adhuc submissus ille modus loquendi Eadmero praedilectus. Exemplo sit codex Dunelmensis B. II. 26, ubi legitur hic titulus: „Meditatio cuiusdam peccatoris et pauperis Dei (Beati Anselmi) de excellentia Beatae Mariae.“ Cum quo conferatur codex, quem iam supra citavi, in Bib. Fac. Advocat. Edinburgi, ms. 18. 5. 18, ubi eidem tractatui inscribitur tantum „Meditatio peccatoris“. Si licet super hac re coniecturam emittere, dicerem Eadmero, qui praecentoris munus gerebat in monasterio Ecclesiae Christi, Cantuariae, procul dubio officium incubuisse, ut libris exscribendis praesideret. Potuit ergo, si ita ei placebat, nullo negotio efficere, ut auctoris supprimeretur nomen, si quando tractatus, quos ipse composuerat, ab aliis transcriberentur. Immo haud absonum videtur eum se Anselmi discipulum voluisse appellari, unde facile eveniret, ut libri, qui eiusmodi titulum prae se ferebant, ipsi Anselmo attribuerentur.

qui in plerisque illum priorem ordine proximus aut praecedit aut subsequitur. Neque enim posset quis inter utrumque tractatum comparationem instituere, quin tum ratione stili tum sententiarum ab eodem auctore conscriptos suspicaretur. Equidem recentiorum esse existimo librum *De Conceptione*. Nam etsi in hoc beata Virgo a peccati originalis macula absolute affirmetur immunis, videtur tamen innuere auctor se prius non tam firmiter id quandoque credidisse. Dicit enim c. 12 (infra p. 13): „Quod si aliquis ipsam dei genitricem usque ad christi annunciationem originali peccato obnoxiam asserit ac sic fide qua angelo credidit inde mundatam, iuxta quod dicitur ‚fide mundans corda eorum‘, si catholicum est non nego, licet *altior consideratio* mentem meam ab hoc divellat.“

His vero consonum est quod legitur in tractatu *De excellentia* c. 3, ubi de annuntiatione angelica auctor sententiam profert; dicit enim: „O fides Deo accepta! O humilitas grata! O obedientia omni sacrificio iucundius Deo oblata. . . . Certe sola fide Abraham fertur Deo placuisse. . . . Cum igitur in his quae tantopere Deo placent sancta Virgo Maria tam excellenter illi placuit, ut nequaquam crediderim ipsam ulla ratione excellentius placere potuisse, nimirum tenemus fide, ab omni, si quid adhuc in illa originalis sive actualis peccati supererat, ita mundatum cor illius, ut vere super eam Spiritus Dei, scilicet super humilem et quietam et tremementem verba sua totus requiesceret.“¹

¹ Migne, P. L. CLIX 561.

Non igitur mirum est, quod in omnibus fere codicibus tractatum *De Conceptione* cum illo *De excellentia* libello proxime coniunctum reperiamus.

Maior difficultas exinde habetur, quod sermo ille super Evangelio, *Intravit Iesus in quoddam castellum*, sollemnitati, ut bene notum est, Assumptionis Beatae Mariae Virginis assignato, toties cum duobus aliis opusculis arcte connexus occurrit. In hac homilia, Sancto Anselmo attributa, quae incipit „Quid ad gloriosam virginem, dei genitricem, lectio ista pertineat . . .“, vir clarissimus B. Hauréau nihil suppositicii suspicari videtur; dicit enim: „C'est une homélie de Saint Anselme jadis célèbre, qu'on l'a prié plusieurs fois de réciter ou de lire en chaire, et dont on a conservé de nombreux exemplaires avec ou sans le nom de l'auteur.“¹ E contra in suo *Commentario de scriptoribus Ecclesiae antiquis*, Casimirus Oudin hanc sententiam de eadem homilia profert: „Quamvis haec homilia praedicta unica in multis manuscriptis codicibus sub Sancti Anselmi nomine legatur, ita tamen absurda est atque sibi parum cohaerens, ut nullatenus talem virum prae se ferat; sed potius aut somniantem aut delirantem aliquem, qui nulla cum consequentia vel ordine loquitur; ut non invitatus fatetur Gabriel Gerberon.“²

¹ Hauréau, *Notices et Extraits des manuscrits etc.* II (1891) 313.

² Oudin, *Commentarius etc.* II 935. Revera non commentum habeo, ubi tale quid insinuaverit Gerberonius, qui homiliam praedictam inter opera Anselmi genuina impressit: *Migne*, P. L. CLVIII 644.

Quidquid id sit, in codice Bibliothecae Publicae Cameracensis n. 404, qui saeculi XII esse dicitur, invenitur haec homilia sub nomine „domni Anselmi“, cum solita praefatiuncula, quae, cum mentionem faciat Arnulfi Troarnensis Abbatis et Gulielmi Fiscamnensis, inter annos 1088 et 1108 necessario fuit redacta. Porro in bibliotheca Collegii Peterhouse, Cantabrigiae, hunc eundem sermonem exhibet ms. 130, nempe Homiliarium quoddam in Germania ineunte saeculo XII exaratum, ubi dicitur esse „Anselmi Cantuariensis Episcopi“. Utrum vero haec rubrica scriptori coaevo sit attribuenda, non clare constat. Sed de his satis, ubi omnia in coniecturis versantur: ad magis certa properemus.

Inter omnes codices quos supra recensuimus, non nisi unus est, qui nomen Anselmi non praeferat. Hunc autem in hac editione potissimum secuti sumus, nam ceteris et antiquitate et auctoritate longe praeminet. Codex, in bibliotheca Collegii Corporis Christi Cantabrigiae asservatus, mediocris formae est, scriptura nitidissima, quae nullo dissentiente saeculo XII, et quidem ante a. 1150, a peritis assignatur¹.

¹ Iam saepius ab eruditis hic codex descriptus est. Conferantur e. g. *F. Liebermann*, Ungedruckte anglo-normannische Geschichtsquellen p. 302. *Stubbs*, Memorials of St Dunstan p. XLIX. *Raine*, Historians of the Church of York I XLIX, qui testatur ex nonnullis additis, quae huic codici sunt propria, eum ad Ecclesiam Cantuariensem olim pertinuisse (cf. *Vita Wilfridi* c. 45, p. 208), et subiungit: „When any collected edition of Eadmer's works is prepared, the editor must give to this ms. his most earnest attention.“ *Rule*, Eadmeri Historia Novorum LXXVIII sq. *Ragey*, Eadmer 272—273.

Sed, id quod prae ceteris huic codici tantam auctoritatem conciliat, textus in ipso monasterio Ecclesiae Christi Cantuariensi, ubi Eadmerus degebat, aut eo vivente aut brevi post eius mortem exaratus est. Testatur enim Dominus Montague Rhodes James, vir in rebus palaeographicis peritissimus, manuscriptum praedictum exhibere illas bene notas apicum formas, quae id aetatis scholae Cantuariensi peculiare erant, et quas ipse hac locutione, „the Canterbury hand“, satis apte designavit¹. Constat praeterea hunc ipsum codicem cum omnibus opusculis in eo contentis accuratissime describi in catalogo bibliothecae Ecclesiae Christi Cantuariensis circa annum 1330 confecto², et exinde in manus Archiepiscopi Cantuariensis Anglicani Parker tempore Elizabethae reginae transmissum, ab ipso Collegio Corporis Christi legatum fuisse, ubi adhuc hodie conservatur. Iam vero omnes huius codicis tractatus in libri fronte et manu scriptoris primigenii sub hac rubrica, *Opuscula Eadmeri Cantoris*, recensentur. Praeterea ad initium tractatus *De Conceptione* iterum occurrit titulus: *De Conceptione Sanctae Mariae editum ab Eadmero monacho magno peccatore*. Si in memoriam revocatur Eadmerum apud omnes in honore habitum et episcopum brevi ante mortem fuisse electum, nemo non videt hunc titulum ab alio quam a se ipso non potuisse praefigi. Neque minus tuto idem affirmari posset de opusculo quod in eodem codice ultimum locum obtinet: *Inspida*

¹ *Montague Rhodes James, The Ancient Libraries of Canterbury and Dover, Cambridge 1903, xxx.*

² L. c. p. 46.

quaedam divinae dispensationis consideratio edita ab Eadmero magno peccatore de beatissimo Gabriele archangelo. Nemo sane eorum, qui hunc codicem inspexerunt, dubitare videtur, quin his titulis plena fides habenda sit. Vir eruditissimus Gulielmus Stubbs, Anglicanae ecclesiae episcopus et in rebus historicis apprime versatus, hunc codicem (C), teste F. Liebermann, „für vielleicht autograph“ declaravit; et de eodem manuscripto subdit ipse Liebermann: „C.'s Lesarten ist der Vorzug gegeben. Möchte es bald einer Gesamtausgabe Eadmers zu Grunde gelegt und so auch diese oder jene gewiß nur kleinere Abweichung vom nachfolgenden Texte nachgetragen werden.“¹

Sed quidquid sit de codicis auctoritate, hoc persuadere nititur doctus Marista P. Ragey, vocem *editum*, quam adhibuit Eadmerus, eo sensu accipi debere, quod scriptis discipulus mandavit quae ab Anselmo magistro didicerit². Haec tamen contentio sustineri nequit. Nam in libello *De Conceptione* nedum aperte profiteatur usquam Eadmerus, vir prae ceteris sincerus, se aliena proferre³, ipse ne minimo quidem verbo tale quid videtur innuere. Immo ex aliis eius scriptis luce clarius constat, quo sensu vocem *editum* ipse intellexerit. Nam in opusculo illo, „Inspida . . . consideratio *edita* ab Eadmero magno peccatore de beatissimo Gabriele archangelo“, cuius titulum modo citavimus, ita de hoc ipso opere loquitur:

¹ Ungedruckte anglo-normannische Geschichtsquellen p.302.

² „Eadmer“ 230 sq.

³ Conferatur praefatio in opusculum *De beatitudine Coelestis Patriae*, ubi revera Anselmi sententias divulgat.

„Quia me de nonnullis quae corporeis sensibus subiacent scribentem deus sua gratia saepe iuvare dignatus est, ita ut plurimorum voluntati, iuxta quod ipsi fatebantur, vel rei veritate quam intelligebant, vel forte favore mei quem diligebant, suo iudicio satisfacissem, venit in mentem, nescio quo spiritu incitante, de beato Gabriele archangelo aliquid scribere, unde animum meum interim saltem ab importunitate vanarum cogitationum sequestrarem.“¹

Doctrinam autem de Beatae Virginis conceptione in tractatu nostro propugnatam ab Anselmo archiepiscopo non derivasse, satis demonstratur argumento, quod Gerberonius in sua censura secundo loco proposuit. Evincit enim editor Maurinus aut sanctum Doctorem parum sibi constare, aut falso ei imputari sententiam quam Eadmerus in suo de Conceptione libello defendit. Sed in hac Gerberonii censura tuenda non est quod insistam, nam omnes sanioris iudicii homines ei adstipulantur, et multo plures loci ex Anselmi scriptis in eundem sensum citari possent, quam ii ad quos editor Benedictinus provocavit².

Restat, ut de tertio Gerberonii argumento aliqua dicamus. Reicit enim ad Sancti Bernardi aetatem opus de quo est sermo, eo quod affirmat auctor sollemnitatem Conceptionis priscis temporibus frequentiori usu fuisse celebratam. Verum in hac opinione vir doctus, cui tamen ad Angliae bibliothecas aditus fuit praeclusus, non parum, licet excusate, aberravit.

¹ Ms. C.C.C.C. 371, p. 431.

² Videsis quae de hac re animadverterim in *The Month*, m. Iul. 1904, p. 2, nota 2.

Fieri sane non potest, ut ad calcem huius praefatiunculae de festi Conceptionis Beatae Mariae primordiis fusius disseram; consulat, precor, lector benevolus ea quae primo et optime ex medii aevi arcanis eruerit vir doctissimus Edmundus Bishop et in ephemeride *The Downside Review* publici iuris fecerit¹. Conferantur etiam, si libet, quae his ultimis mensibus eidem argumento contulerim sub titulo *The Irish Origins of Our Lady's Conception Feast*². Suffecerit hic quaedam breviter adnotasse.

1. Constat ex libris liturgicis in Anglia ante annum 1050 exaratis, festum Conceptionis Beatae Mariae non tantum in Calendariis commemoratum, sed et orationibus et benedictionibus propriis inter Missae sacrificia sollemni cultu honoratum fuisse.

2. Quod ad Calendaria attinet, iam pridem notum est conceptionem Sancti Ioannis Baptistae indicari in plerisque Calendariis perantiquis Germaniae, Galliae et Angliae a saeculo VII et deinceps. Iam vero accedit quod et conceptionem Deiparae in pervetustis Hiberniae martyrologiis saeculi IX sub die VI Nonas Maii commemoratam reperimus. Exemplo sit versus in Calendario rhythmico huius aetatis a scriba ut videtur Hiberno exscriptus:

Concipitur virgo Maria cognomine senis.

Ita in Oengi Calendario Hiberno, quod olim vir doctissimus Whitley Stokes saeculo X, sed modo

¹ *The Downside Review* 1886, 107—119.

² *The Month*, m. Maio 1904. Cf. *Stimmen aus Maria-Laach*, m. Iul. 1904, 119.

argumentis cedens Professorum Thurneysen et Strachan saeculo IX ineunti attribuit, legitur sub die tertio, non vero secundo, Maii: „Feil mar Maire uage“ — festum magnum Mariae virginis. In quae verba posterioris aevi glossa sic commentatur: „Feil mar Maire et reliqua, i. e. haec inceptio eius, ut alii putant — sed in Februo mense vel in Martio facta est illa, quia post septem menses nata est, ut innarratur — vel quaelibet alia feria eius.“ Hanc autem commemorationem re vera de conceptione Beatae Mariae, et non de qualibet alia feria (i. e. festivitate) eius, celebrari patet ex Martyrologio Tam lactensi saeculi IX vel X, ubi in eodem die III Maii recensebantur:

„Crucis Christi inventio
Mariae Virginis conceptio“ etc.

De his omnibus plurima sane dicenda forent, si fines nobis propositi permisissent. Sufficient tamen ea, quae retulimus, ad evincendum iure merito dicere potuisse vel Eadmerum vel quemvis alium de gente Anglorum, Bernardi aevo paulo antiquiorem, festum Conceptionis Beatae Mariae priscis temporibus maiori cum honore a decessoribus fuisse celebratum. Immo eandem sollemnitatem sub initio saeculi XI a quibusdam episcopis „de medio sublatam et in nichilum redactam esse“ compertum habemus ex literis Osberti de Clara, quas in prae laudata dissertatione citavit Dominus Edm. Bishop et quas sub appendice A hic prima vice integras edendas curavimus.

Codices, quos praecipue inter manus habui in tractatulo nostro edendo, hi sunt:

1. Ms. Coll. Corp. Christi, Cantabrigiae, 371, iam sufficienter descriptus.

2. Ms. Bib. Bodl., Oxonii, Laud. 264.

Codex membranaceus maioris formae, binis columnis manu saec. XIII nitide exaratus. Folio 1 inscribitur manu cum codice coeva: „In isto libro continentur libri venerabilis Anselmi Cantuariensis episcopi.“ Sequitur catalogus contentorum. Ad calcem paginae eadem manu scriptum est: „De studio abbatis“; et paulo inferius: „Hic est liber ecclesiae S. Albani ex dono Richardi II abbatis, quem qui a dicta ecclesia alienaverit vel titulum deleverit, anathema sit. Amen.“ — Tractatus *De Conceptione* occupat folia 104a ad 113b, et proxime praecedat tractatum *De excellentia Beatae Mariae Virginis*.

3. Ms. Mus. Brit., Royal 6. B. X.

Codex membranaceus manu saec. XIII exaratus. Tractatus *De Conceptione* occupat folia 2a ad 7a. Inscribebitur, sed manu recentiori: „Sermo s. anselmi de conceptione beatae mariae virginis.“ Sequuntur opuscula nonnulla Sancti Hildefonsi et Sancti Hieronymi, et „Miracula dominae nostrae“. In fronte libri legitur: „Liber monachorum S. Edmundi in quo continentur subscripta, viz: Anselmus de conceptione b. mariae virginis“ etc. Huic monasterio Sancti Edmundi Buriensi (hodie Bury Saint Edmund's) diu praefuit Anselmus abbas, nepos Sancti Anselmi archiepiscopi. Observatione dignum est, quod de isto dicitur ad finem notulae cuiusdam in alio codice

Buriensi (Appendix I): „Hic Anselmus duas apud nos solemnitates instituit scilicet conceptionem S. Mariae quae iam in multis ecclesiis per ipsum celebriter observatur et commemorationem eius in adventu quam Hildefonsus instituit.“ Lectorem studiosum non effugiet hunc ipsum codicem, licet Anselmi aevo posterioriorem, nonnulla Hildefonsi opuscula una cum tractatu *De Conceptione* continere. Mirum est quam accurate concordet hic textus cum illo vetustiori qui in ms. 1, scil. C.C.C.C. 371 exhibetur.

4. Ms. Mus. Brit., Sloane 1056 A.

Codex membranaceus in folio binis columnis saeculo XIII (post a. 1250) exaratus. Liber de Conceptione occupat folia 7b ad 10b. Tractatus noster ad finem mutilus est.

Praeter hos alios etiam codices inspexi, praecipue duos in Bibliotheca Lambethiana; non tamen operae pretium visum est varias illorum lectiones recensere nec ipsos codices accuratius describere.

In textu imprimendo ob legentium et citantium commodum illam secutus sum capitum divisionem, quam in editione sua inter *Sanctorum Patrum Opuscula* (vol. XII) iam adhibuit theologus emeritus P. Hubertus Hurter S. J.

DE APPENDICIBUS.

Documenta in Appendicibus impressa, si excipiatur Appendix D, hic prima vice integra luci eduntur. Omnia intimam relationem habent ad historiam dogmatis de Conceptione immaculata Deiparae a viris doctis in Anglia primo verbis expressis propositi et vindicati. Primum locum merito obtinet epistola

Osberti de Clara, quam ad Anselmum Buriensem, sancti archiepiscopi nepotem et festi Conceptionis acerrimum propugnatorem, anno 1128 vel 1129 scriptam esse constat¹. Refert Osbertus, quo pacto celebratio huius festi ab episcopis quibusdam inhibita sit, et Anselmo suadere tentat, ut vel per se vel per alios causam Beatæ Virginis tueatur. Ait enim (infra p. 57): „ad hoc tendit stilus meus ut cum talibus religiosis personis et literatis de hac invidorum calumnia et genitricis dei conceptione gloriosa vel scripto vel verbo loquamini, qui et subtilia sanctæ scripturæ argumenta non ignorent et vobiscum defendere contra inimicos veritatis causam beatæ virginis Mariæ non formident“. Fieri quidem potuit, ut instigante hac ipsa epistola et abbatis Anselmi interventu Eadmerus, iam senex, adductus sit, ut tractatum *De Conceptione* scribendum susciperet. Non enim certo constat eum anno 1124, ut communiter perhibetur, obiisse². Quin et conicere liceret cum Gerberonio et aliis epistolam illam celeberrimam Sancti Bernardi ad canonicos Lugdunenses, quos ob sollemnizatam Sanctæ Mariæ Conceptionem graviter reprehendit, tractatum Eadmeri tempore præcessisse³. Haec tamen cum sint prorsus incerta, proposito nostro satis factum fuerit,

¹ Videsis quæ de hac epistola dixerit Edmundus Bishop in dissertatione supra citata, *Downside Review* 1886, 114.

² De hac re fusius disserui in ephemeride *The Month* (m. Aug. 1904, 203—207); ubi tamen argumentis utrimque propositis communiore sententiæ standum esse censi.

³ Vir cl. E. Vacandard, Sancti Bernardi biographus, hanc epistolam modo annis 1128—1130 attribuit: *Revue des Questions Historiques* 1897, 166—184.

si documenta quaedam ad rem accuratius determinandam iuvantia lectori studioso exprompserimus.

In Appendice C ex eodem codice Cottoniano (Vitellius, A. XVII) exscripsi homiliam, quam idem Osbertus de Clara rogatu Warini, Wigorniensis Ecclesiae decani, in festum Conceptionis composuit. Lectorem attentum non latebit ne unum quidem verbum de *immaculata* Virginis conceptione ab isto nostri dogmatis vindice acerrimo ibidem proferri. Immo in epistola quam homiliae praemiserat (Appendix B), innuere haud obscure videtur se prae multitudine reclamantium et detractorum sententiam suam clarius exprimere non fuisse ausum (infra p. 61). Dolendum est nos nescire, quo tempore haec homilia conscripta sit. Hoc tantum constat, eam post annum 1125 prodiisse.

Sub Appendice D nonnulla collegimus documenta liturgica Ecclesiae Anglicanae, quae primus e codicibus eruit saepe laudatus Edmundus Bishop. Haec omnia, quae conceptionem Deiparae tunc temporis sollemniter celebratam planissime demonstrant, Normannorum in Anglia imperium praecedunt, anno scilicet 1066 antiquiora sunt. His etiam addi potuit saepe repetita mentio eiusdem celebrationis in eius aetatis Calendariis Anglicae originis, necnon et Martyrologiis. Exemplo sit Martyrologium pulcherrimum in monasterio Sancti Augustini (olim Sanctis Petro et Paulo dedicato) Cantuariae, circa annum 1050 exaratum¹, ubi sub die VI Id. Decemb. prima manu

¹ Ms. Cotton., Vitellius, C. XII, in Museo Britannico Londinii asservatum.

inscribitur: „Item ipso die conceptio sanctae mariae virginis.“

Tria documenta quae sequuntur (Appendices E, F, G), antiquiores exhibent versiones istius miraculi olim celeberrimi, quo hoc festum Elsinio cuidam Anglo, abbati Ramesiensi, tempore Gulielmi dicti „Conquisitoris“, divinitus revelatum fuisse credebatur. Ad hanc historiam alludere censetur Sanctus Bernardus in sua epistola ad canonicos Lugdunenses cum dicit: „sed profertur scriptum supernae, ut aiunt, revelationis“ etc.¹ Illa redactio, quam primo loco posuimus (Appendix E) in legendis Breviariorum fere innumerabilium sub Anselmi archiepiscopi nomine reperitur². Textus, quem ex codice Cotton., Vitellius, A. XVII exscripsi, etsi certo huic codici interpolatus, saeculi XII exeuntis est, et impressis a Gerberonio aliisque vetustior esse videtur. Tertia redactio (Appendix G) Gulielmum Malmesburiensem, qui mortuus est circa annum 1143, historiographum illustrem, auctorem habet; isque more suo narrationem, nihil immutata substantia, elegantiori stilo retractavit. Textum mihi praestitit codex Oxoniensis Collegii Balliolensis n. 240, saeculo XIII exaratus³. Versio quae media

¹ Migne, P. L. CLXXXII 335, Ep. 174.

² Videsis, ut unum exemplum adducam ex plurimis, *Lechner*, Mittelalterliche Kirchenfeste und Kalendarien in Bayern 92—93.

³ De hac redactione „Miraculorum dominae nostrae“, quam edidit Gulielmus Malmesburiensis, conferatur *Mussafia*, Sitzungsberichte der k. k. Akademie der Wissenschaften zu Wien, Phil.-hist. Klasse CXXIII, praecipue p. 19.

stat (Appendix F) ex manuscripto Musei Britannici, Cotton, Cleopatra C. X, cum aliis collato¹, provenit. Hanc redactionem non improbabili coniectura Anselmo Buriensi attribui posse existimo. Fieri tamen non potest, ut hic recenseam quae alibi fusius disserui de historia illa Elsini abbatis inter Miracula Dominae nostrae celeberrima².

Si clavis requiratur ad opera multa recludenda, quae de origine collectionum Miraculorum Dominae nostrae eruditorum animos suspensos tenent, multum iuverit, ni fallor, vitam Anselmi iunioris, abbatis Buriensis, et promotoris festi Conceptionis, attentius considerasse³. Eapropter exscripsi notulam (Appendix I) ex margine codicis Harleiani 1005, quam de hoc abbate monachus quidam Buriensis, ut videtur, ex fontibus fide dignis saeculo XIV composuit.

Denique duas narratiunculas adieci in Appendice H, ex illis fabulis piis, quibus saeculo XII et sequentibus maxime divulgabatur praxis celebrandi conceptionem

¹ Addit. 35 122, saec. XII; Arundel 346, saec. XIII; C.C.C.C. 42, saec. XII. Cf. *The Month*, m. Iul. 1904, 7.

² Factis historicis non contradicunt quae de Elsinio in hoc miraculo narrantur. Errat profecto vir cl. E. Vacandard cum dubia emittit de itinere Elsini in Daniam suscepto (cf. *The Month*, m. Iul. 1904, 9; *E. A. Freeman*, *The Norman Conquest* IV, nota P). Exactissima quoque est relatio, quae dicit eum prius monasterio S. Augustini praefuisse et postea Ramesiensi. Neque sileri debet eum ex monasterio Wintoniensi in abbatem Cantuariensem promotum, quibus in monasteriis certo constat festum Conceptionis iam ante Normannorum irruptionem fuisse celebratum.

³ Cf. *The Month*, m. Iul. 1904 12—15.

Beatae Mariae Virginis. Conferri hae possunt cum aliis duabus, quas iam edidit Gerberonius inter opera spuria Sancti Anselmi¹. Narratiunculas hic prima vice impressas descriptas inveni in perpulchro codice Dublinensi, Domino Mussafia, ut videtur, ignoto, qui amplissimam collectionem eiusmodi miraculorum continet. Hoc „Mariale magnum“, cuius exemplar alterum in Collegio Sydney Sussex Cantabrigiae asservari videtur, in bibliotheca Collegii Sanctissimae Trinitatis numeratur ms. 167, saeculo XIV exaratum.

¹ *Migne*, P. L. CLIX 319—322.

HERB. THURSTON S. J.

DE CONCEPTIONE SANCTAE MARIAE
EDITUM AB EADMERO MONACHO
MAGNO PECCATORE.

(Ex codice 371 Collegii Corporis Christi Cantabrigiensis,
pp. 395—415*.)

1. Principium quo salus mundo¹ processit mihi considerare volenti occurrit hodierna solennitas quae de² conceptione³ beatæ matris dei mariae multis in locis festiva recolitur. Et quidem priscis temporibus⁴ frequentiori usu celebrabatur, ab iis præcipue, in quibus pura simplicitas et humilior in deum vigebat devotio. At ubi et maior scientia et præpollens examinatio rerum mentes quorundam imbuit et erexit, eandem solennitatem, spreta pauperum simplicitate, de medio sustulit, et eam

* In hoc codice paginae numerantur, non, ut moris est, folia tantum.

¹ mundi 3. ² de om. 2. ³ conceptio 2. ⁴ Priscis quidem temporibus 2.

quasi ratione vacantem redegit in nichil¹. Quorum sententia eo maxime in robur excrevit, quod ii², qui eam protulerunt³, seculari et ecclesiastica auctoritate divitiarumque abundantia praeeminebant.

2. Sed cum ego et priscorum simplicitatem et modernorum ingenii sullimitatem⁴ mecum revolverem, cecidit in mentem quaedam divinae scripturae verba in medium⁵ ponere; et quid iudicii de singulis gerant⁶, pro meo sensu pia⁷ consideratione perpendere⁸, quatinus sua auctoritate probetur⁹, quid cui attribuendum, quid mei similibus sit certa magis ratione sequendum. Et de simplicibus quidem in ipsis verbis invenitur quod cum eis sit sermocinatio dei. Illos vero quos multa scientia sine caritate perlustrat ferunt eadem scientia inflari, potius quam veri boni integritate solidari. Cum igitur illos dei sermocinatio instruat, et istos sua scientia quadam ventositate distendat, qui aequa decernere non veretur¹⁰, cui magis parti sit cedendum

¹ nichilum 2, nichili 3 4. ² hii 2. ³ praetulerunt 2. ⁴ sullimitatem 2. ⁵ medio 2. ⁶ gererant (sic) 2. ⁷ pia bis 3. ⁸ perpendere om. 2. ⁹ probet 3, id est add. 3. ¹⁰ verentur ante corr. 2.

precor edicat, colloquio videlicet dei¹ inhaerenti, an de sui cordis perspicacia ultra aequum tument².

3. Et hi quidem ut ulla memoria de conceptione virginis matris in ecclesia filii eius fiat, non sibi rationis videri affirmant, eo quod ex nativitate illius, quae ubique festive recolitur, conceptionis eius exordium satis memoretur³. Nec enim, aiunt, nata esset, si concepta non fuisset. Et cum in lucem ex materni uteri⁴ secreto prodivit, clarum fuit quod in alvo parentis concepta in humanam formam concrevit. Cum itaque corporis eius specificata compositio, et in huius mundi latitudine⁵ exhibitio veneretur a cunctis, supervacue illa adhuc informis materia⁶ coleretur, quae in nonnullis saepe, priusquam plene in humanam effigiem transeat, deperit et adnichilatur. Hac animi sui sagacitate perfuncti quod antiquorum simplicitas et perfecta in dominam⁷ | (p. 396) rerum constituerat charitas, festum scilicet de conceptione ipsius

¹ deo 2. ² timenti *ante corr.* 2. ³ memoratur 2. ⁴ uter om. 3. ⁵ latitudinem 2 3 4. ⁶ tum *add.* 2. ⁷ domina 2.

sacratissimae dominae, sua qua se pollere gloriabantur auctoritatis ratione abolere non timuerunt.

4. Visa¹ ergo ratione summorum viro-
rum in abolitione festivitatis matris dei
proficientium, videamus etiam² charitatem
simplicium de tanti gaudii amissione ge-
mentium³. Simples sunt, et profundis
rationibus philosophantium responsa quae
expetunt, fortassis reddere nesciunt. Dicunt
tamen devota in domini matrem charitate
fundati, non magni ponderis sibi videri
omne quod dignitati aut honori eius humana
laude defertur⁴, si meritis illius et insigni-
bus comparetur. Verumtamen dum ipsa
insignia sua, ut dignum est, devotione
mundus ubique veneratur⁵, quid sit quod
supremam originem illorum non pio oculo
intuetur, nonnichil miratur⁶.

5. Consummatio enim tantorum bono-
rum⁷ quae per ipsam domini matrem toti
creaturae provenerunt, videtur ammonere
mentem humanam⁸ pietatis affectu ex-

¹ Ausa 3. ² et 2. ³ gementium *om.* 2. ⁴ deferuntur 3.
⁵ veneretur 3 4. ⁶ mirantur 4. ⁷ Tantorum enim bono-
rum consummatio 2. ⁸ ut *add.* 2.

ordium suum considerare ¹. Et utique eam venturam, ac ² domini matrem futuram tota veteris instrumenti ³ series pandit. Sed utrum ita proxime nascitura quovis oraculo aut angelo nuntiata sit, sicut dominus christus filius eius, aut beatus iohannes praecursor et baptista eiusdem filii eius, aut illi vel illi de quibus, ut pene omnibus liquet, sacrae historiae plenissime narrant, in divina pagina non habetur, in canonica scriptura non reperitur. In quo quid dispensatori ⁴ omnium rerum spiritui sancto placuerit, non satis digne me posse considerare ⁵ profiteor. Ab re tamen et contra fidem esse non estimo, si exordium conceptionis ipsius tanti a simplicibus ecclesiae filiis estimetur, ut tam sullime, tam divinum, tam ineffabile fuerit, ut in ⁶ illud mens humana nulla perspicacitate assurgere possit.

6. Nec mirum: fundamentum siquidem et quasi quoddam seminarium civitatis et habitaculi summi boni in ea ponebatur ⁷,

¹ considerare *post* ut(!) 2. ² ad (*sic*) 2. ³ testamenti *post corr.*; instrumenti *ante corr.* 2. ⁴ dispensator et 3.

⁵ considerare *om.* 2. ⁶ in *om.* 3. ⁷ *peciebatur* 2.

et mansio lucis aeternae et templum, quod corporaliter inhabitaret ille incorporeus et incircumscriptus et creans¹ simul et vivificans omnia spiritus, parabatur.

7. Dicit forte aliquis: Quid² enim, maior et excellentior estimari debet conceptio futurae matris dei, quam conceptio venientis in carne | (p. 397) filii dei? Conceptio namque incarnandi filii dei ab angelo, sicut evangelium refert, coelitus praenuntiata³ et humanitus intellecta est⁴. Si ergo aliquid excellentius et quod humanum intellectum supervolet, conceptionem beatae mariae designasse estimandum est, excellentior gloria et maior dignitas in eius quam in christi domini conceptione divinitus enituisse⁵ verisimili ratione videtur. Non hoc dico. Sed filius dei, candor lucis aeternae et ipse lux inaccessibilis, formam servi accepturus semetipsum exinanivit, suumque adventum ita humanis mentibus contemperavit ut capi posset et intelligi; nam si in divinitatis suae essentia veniens

¹ creant 3. ² Quid *om.* 2. ³ est *add.* 2. ⁴ est *om.* 2.
⁵ emicuisse divinitus 2, emicuisse 4.

appareret, nemo caperet, nemo sustineret. Beata vero maria, mater dei futura, sicut eum, qui super omnia est et incomprehensibilis, verum erat hominem ineffabili modo de sua substantia virgo paritura, ac per hoc in divinitatis illius unitatem transitura, non absurde credi potest primordia conceptionis eius tanta deitatis sullimitate prae-signata, ut humanarum conceptio mentium ea plene penetrare non valeret.

8. Haec itaque pura simplicitas simplexque in deum et in¹ dulcissimam matrem eius puritas dilectionis estimare de conceptione ipsius dei genitricis non veretur. Et iccirco eiusdem conceptionis dies festi-vis laudibus a cunctis fidelibus suo iudicio merito celebraretur. De ipsa quippe, multis saeculis ante ortum eius vel conceptum, isaiam spiritu sancto afflatum dixisse constat: egredietur virga de radice iesse, et flos de radice eius ascendet; et requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et

¹ in om. 2.

replebit eum spiritus ¹ timoris domini. Haec itaque virga quae talem ex se protulit florem, nullo dissentiente, virgo maria fuit, et flos, qui de radice eius ascendit, benedictus filius eius, super quem et in quo omnis plenitudo divinitatis ² essentialiter requievit.

9. Haec igitur virgo ³, tanti filii dignissima parens, cum in alvo suae parentis ⁴ naturali lege conciperetur, quis non concedat dei sapientiam a fine usque ad finem pertinentem, cuncta implentem, cuncta regentem, novo quodam et ineffabili gaudio coelum, terram, et ⁵ omnia quae in eis sunt, perfudisse ⁶; ac inestimabili iubilatione pro sui redintegratione, quam per illam sibi eventuram divina et occulta inspiratione praevidebant, perlustrasse? Sed cum ipsa | (p. 398) conceptio fundamentum, ut diximus ⁷, fuerit habitaculi summi boni, si peccati alicuius ex prima ⁸ praevaricationis origine maculam traxit ⁹, quid dicemus? Utique voce divina dicitur ad ieremiam:

¹ spiritu 3. ² eius *add.* 3. ³ virgo igitur 2. ⁴ parentis sui 2. ⁵ et terram 2. ⁶ perfudisse 3. ⁷ ut *add.* 3. ⁸ prime 2. ⁹ traximus 3.

priusquam te formarem in utero, novi te: et antequam exires de ventre, sanctificavi te; et prophetam in gentibus dedi te. De iohanne quoque angelus, qui eum nasciturum praenuntiabat, asseruit¹ quod spiritu sancto repleretur adhuc ex utero matris suae. Si igitur ieremias, quia in gentibus erat propheta futurus, in vulva est sanctificatus, et iohannes, dominum in spiritu, et virtute eliae praecessurus, spiritu sancto est² ex utero matris suae repletus, quis dicere audeat singulare totius saeculi propitiatorium, et unici³ filii dei omnipotentis unicum ac dulcissimum reclinatorium, mox in suae conceptionis exordio spiritus sancti gratia et illustratione destitutum? Testante vero sacra scriptura, ubi est spiritus domini, ibi libertas. A servitute itaque omnis peccati libera fuit, quae omnium peccatorum propitiatori aula, in qua et ex qua personaliter homo fieret, spiritus sancti praesentia et operatione construebatur⁴. Quod si quis eam primae originis peccato non omnimodis expertem fuisse pronuntiat,

¹ affuit *ante corr.*; asserit *post corr.* 2. ² est *om.* 3.

³ unice 2. ⁴ constituebatur 2.

cum illam ex legali coniugio maris et feminae conceptam verissime constet; si sententia catholica est, ego a catholicae et universalis ecclesiae veritate nulla volo ratione dissentire. Magnificentiam tamen operationum virtutis divinae quadam quasi mentis lippitudine pro posse considerans, videor mihi videre quia, si quid originalis peccati in propagatione¹ matris dei et domini mei extitit, propagantium et² non propagatae prolis fuit.

10. Castaneam nucem attende. Cum de sui generis arbore prodit nascitura, involucrum illius totum hispidum et densissimis aculeis undique septum apparet. Intus castanea concipitur, primo quidem in modum lactei liquoris, nichil hispidum, nichil asperum, nichil aliquibus aculeis noxium³ in se habens aut circa se aliquatenus sentiens. Illic in summa lenitate nutritur, fovetur et alitur, ac formata in sui speciem et habitudinem, iam adulta, rupto involucro, ab omni spinarum punctione et horrore liberrima, matura egeritur.

¹ propatione 3. ² noxium *om.* 3. ³ obnoxium 3 4.

Attende. Si deus castaneae confert ut infra spinas a spinis remota concipiatur, alatur, formetur¹; non potuit | (p. 399) dare corpori humano, quod ipse sibi templum [parabat]² in quo corporaliter habitaret, et de quo in unitate suae personae perfectus homo fieret, ut licet inter spinas peccatorum conciperetur, ab ipsis tamen spinarum aculeis omnimodis exors redderetur? Potuit plane. Si igitur voluit, fecit.

11. Et quidem quicquid dignius unquam de aliquo extra suam personam voluit, patet eum de te, o beatissima feminarum, voluisse. Voluit enim te fieri matrem suam, et quia voluit, fecit esse. Quid dixi? Matrem suam te fecit ille rerum omnium creator, dominus et gubernator; rerum, inquam, omnium non solum intelligibilium, sed et omnem intellectum transcendentium factor et dominus; te, domina, matrem suam unicam fecit et sic universorum te simul dominam et imperatricem instituit. Coelorum itaque, terrarum ac marium et

¹ fovetur 2. ² Videtur sensus exigere, ut parabat seu aliam eiusmodi vocem suppleamus. Haec tamen in omnibus quos vidi codicibus deest.

omnium elementorum, cum omnibus quae in ipsis sunt, domina et imperatrix existis, et ut ita esses, in utero matris tuae a primordiis conceptionis tuae operante spiritu sancto creabaris. Ita est, bona domina, et gaudemus ita esse. Nunquid ergo, dulcissima domina, nunquid tu tanta futura summi videlicet boni unica mater, et omnium quae fuerunt, sunt¹ vel erunt, prudens ac nobilis post filium tuum imperatrix, nunquid in exordio tui talis esse debuisti, ut omnium quorum te dominium gerere certissime novimus, aut paritati aut subiectioni potuisses addici?

12. Ille assertor purae veritatis², et a filio tuo iam coelo praesidente vas electionis cognominatus, omnes homines in adam³ peccasse fatetur. Vera utique sententia, et cui contradici nefas esse pronuntio. Sed cum eminentiam gratiae dei in te considero, sicut te non intra omnia, sed supra omnia quae praeter filium tuum⁴

¹ sunt *om.* 2. ² Ille allectorum (*sic*) purae assertor veritatis 2. ³ in adam *om.* 2. ⁴ p. f. t. *om.* 2 3. In codice 1 hae voces praeter filium tuum adiciuntur in margine, manu tamen, ut videtur, fere coeva.

facta sunt, inestimabili modo contueor, ita te non¹ lege naturae aliorum in tua conceptione devinctam fuisse opinor, sed singulari et humano intellectui impene- trabili divinitatis virtute et operatione ab omnis peccati admixtione liberrimam. So- lum etenim peccatum fuerat quod homines a pace dei dirimebat; ac ut illud filius dei evacuaret, sicque ad pacem dei humanum genus revocaret, homo fieri voluit, et talis, ut nichil in eo esset quod aliquatenus concordaret ei, unde homo | (p. 400) a deo discordabat². Quia ergo ita fieri oportebat, matrem de qua talis crearetur³, mundam esse ab omni peccato decebat. Aliter enim quo pacto illi summae puritati caro⁴ tanta coniunctione uniretur, ut homo assumptus et deus ita essent unum, ut quae dei sunt, indifferenter hominis essent, et quae ho- minis, dei? Quod si aliquis ipsam dei genitricem usque ad christi annunciationem originali peccato obnoxiam asserit ac sic fide qua angelo credidit inde mundatam, iuxta quod dicitur „fide mundans corda

¹ non te 2. ² discordebat 2. ³ creatura 2. ⁴ caro om. 3.

eorum“, si catholicum est non nego, licet altior consideratio mentem meam ab hoc ¹ divellat. Nam, ut dixi, matrem domini super omnia praeter deum esse perpendens, sullimiori gratia dei quam apostolos vel aliud quid ² quod extra deum filium suum creatum asseritur ipsam irradiatam protestor. Igitur si primordia creationis illius alio intuitu quam aliorum de propagine adae prodeuntium considero, precor nemo vultum subsannando avertat, nemo, quae pietatis et quam deus dat purae devotionis affectu ³ in dei genitricem permotus dico, suo sensu aliqua animositate ductus, evertere temptet, nisi fidei christianae penitus contraria esse certus existat.

13. Ad haec. Videas aliquem praepotentem, sibi palatium quod specialiter suis usibus aptum existat construere volentem, in quo et ipse frequentiori et festiviori occurso conversetur, et omnibus ope eius ⁴ atque consilio indigentibus mitiori et laetiori vultu et voce ⁵ respondeat et auxilietur. Patereturne, quaeso, ipsius palatii funda-

¹ ab hoc mentem meam 2. ² (a. q.) alios 2. ³ effectu 2.
⁴ eius om. 2. ⁵ voceque 2.

mentum invalidum fieri vel lutulentum, et structurae quae foret edificanda incongruum et non cohaerens? Non puto; si saperet, et propositum suum ad effectum perducere vellet. Ergo sapientiam dei ante omnia saecula proposuisse sibi habitaculum quod specialiter inhabitaret constructuram indubitata fide tenemus. Quod autem ipsum habitaculum fuerit, iam mundo dudum innotuit. Hoc enim habitaculum illud sancti spiritus sacrarium esse fatemur, in quo et per quod eadem sapientia dei humanae naturae coniungi voluit et incorporari, et omnibus ad se pura mente confugientibus parcere et misereri. Quod sacrarium, aula videlicet universalis¹ propitiationis, cum operante spiritu sancto construeretur, | (p. 401) fundamenti² illius initium, primordium conceptionis beatae mariae, quam ipsam aulam nominamus, prout intelligo, extitit. Si igitur aliqua alicuius peccati macula conceptio ipsa corrupta fuit, fundamentum habitaculi sapientiae dei ipsi structurae non congruebat, non cohaerebat. Et qui³

¹ misericordiae et 2. ² fundamentum 4. ³ quia 2; quomodo 4.

fieri potuit ut peccati propitiatio unum et idem esse haberet cum peccato? Quae etenim¹ societas luci² ad tenebras? Insciane fuit aut impotens sapientia dei et virtus, mundum sibi omni ex parte habitaculum condere, remota omni labe conditionis humanae? Angelos, aliis peccantibus, a peccatis³ servavit, et feminam, matrem suam futuram, ab aliorum peccatis exortem servare non valuit? In aeternitate consilii sui fixum statuit eam dominatricem et reginam fore angelorum, et nunc inferiorem gratiam angelis nactam in consortium conceptam esse credemus hominum peccatorum? Estimet hoc qui vult, argumentis suis probet qui vult, iis⁴ quae dicimus adversetur qui vult. Ego donec deus ostendat mihi aliquid dignius excellentia⁵ dominae meae posse dici, quae dixi⁶ dico; quae scripsi non muto; caeterum me et intentionem meam filio eius et illi committo. Domina mea, mater domini mei, mater illuminationis cordis mei, nutrix reconciliationis et reparatoris totius

¹ enim 2. ² lucis 2. ³ peccato 3. ⁴ hiis 2. ⁵ excellentiae suae 2. ⁶ ego *add.* 2.

substantiae meae, doce, quaeso¹, cor meum quomodo te intelligere debeat², quid de te dignius sentiat, quo affectu te veneretur, qua dulcedine in te delectetur, qua suavitate de te iocundetur³, qua dilectione⁴ te amplectatur, qua spe se tibi⁵ commendet, quo famulatu deserviat, qua devotione complaceat, qua via ad te perveniat.

14. Nichil enim, domina, tibi aequale, nichil comparabile. Omne enim⁶ quod est, aut supra te est, aut infra te. Quod supra te est, solus deus est; quod infra te est, est omne quod deus non est. Ad tantam itaque excellentiam tuam quis aspiret, quis pertinget? Et certe ut ad hanc excellentiam pervenires, in humillimo, hoc est in utero matris tuae, parvissima ordiebaris. Quod si tali modo concepta et ordita non fuisses, in tantam celsitudinem non succrevisses.

15. Quisquis igitur de crementi tui magnitudine gaudet ac⁷ laetatur, de orditione ipsius crementi aequum est exultet⁸ et

¹ quaeso *om.* 2. ² debeat intelligere 2. ³ recordetur 2.

⁴ delectatione 2. ⁵ sibi 2. ⁶ enim *om.* 2. ⁷ et 3.

⁸ exultet *om.* 2.

exhilaretur. Qui ergo a die beatæ conceptionis tuæ¹ gaudium eiusdem conceptionis tollit ecclesiae dei, aut non bene attendit, | (p. 402) aut attendere negligit, vel nescit bonum quod inde processit omni creaturae dei². Sed immensitatem boni ipsius quis explicabit? Fateor non ego; longe enim a me et mei similibus, hoc est peccatoribus, tanta³ salus. Verumtamen, ut autumo, quasi⁴ in enigmate adverti aliquatenus poterit, si malum, in quod natura humana ex peccato adæ corruit⁵, ante mentis oculos praefigatur, et ita in ipsius mali contrarium, bonum scilicet quod per hanc dominam mundo provenit, animus considerare volentis defigatur⁶.

16. Omne quippe bonum, ad quod homo conditus fuerat, perdidit in adam, et⁷ idem ipsum bonum multo excellentius humana natura recuperavit per mariam. Duas siquidem beatitudines et duas miserias⁸ esse novimus. Harum beatitudinum et miseriarum unam maiorem alteram minorem

¹ conceptionis beatæ tuæ 2. ² Desunt nonnulla in 4.
³ tanta om. 3. ⁴ ut 2. ⁵ et add. 3. ⁶ figatur ? ⁷ quod add. 2. ⁸ esse miserias 2.

constat esse. Beatitudo maior, regnum coelorum; minor, qua primus homo potiebatur ante peccatum. Maior miseria, poenae infernales; minor, in quibus vivimus continuae tribulationes, et nos ipsarum beatitudinum experientia penitus ignari, experientia miseriarum sentimus nos usquequaque gravari. Sub una gemimus; aliam¹, ne nos rapiat formidamus. Consideratione etenim minoris, si vigilantissimo animo studium² adhibemus, aliquantum quae sit maior miseria conicere valemus, licet porro infra quam sit. Qualitatem vero beatitudinis vel minoris, nisi per contraria miseriae in qua sumus, non facile percipere possumus. De maiori autem beatitudine dictum estimo, quia oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit deus diligentibus se.

17. Ab his igitur beatitudinibus omnimodo separati fuimus per praevaricationem nostri primi parentis et utriusque miseriae infeliciter obnoxii facti. Mors namque per peccatum adae intravit in mundum, et ita

¹ alia 3.

² studium animo 2.

in omnes homines pertransivit, nec aliquis ante adventum filii sanctae mariae inde poterat liberari. Et quae mors? Mors animae primo, qua¹ homo perdidit vitam aeternam, deum videlicet ad cuius similitudinem factus fuerat. Infelix perdere, perdere quod summe et vere est², et sine quo nichil usquam bene habetur vel est! Hanc miseram mortem et omni malo incomparabilem mors quoque corporis sequebatur, per quam anima, quae adhuc in corpore degens vitae coelestis flatum (p. 403) amiserat, multo miserius claustris inferni submersa deperibat. Hanc inestimabilem damnationem nemo qui evaderet, qui inde liberaretur nemo erat. Liberandi potestas in tota creatura nulli rei arridebat; soli deo qui hominem fecerat, et contra quem homo deliquerat, haec liberandi potestas supererat. Sed quid?³ Ipse offensus, ipse despectus, ipse ut parceret a nullo digne petebatur; de die in diem scelera multiplicabantur, et ira dei ad puniendum potius quam parcendum provocabatur. At

¹ quia 2. ² est et vere 2. ³ Sed quid? *om.* 2.

ille cuius pietas non exhauritur, cuius misericordia non exinanitur, cuius bonitas nunquam deficit, cuius maiestas quod vult efficit, hominem ad similitudinem sui creatum, ne totus in aeterna damnatione periret, liberare instituit, et ordine, quo gravior esse non potuit, ipse videlicet qui hoc et¹ per se faceret, homo fieri voluit. Nec talis² ut caeteri homines, sed ut ipse³ et⁴ assumpta humanitas in una persona esset perfectus deus et perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens. Sed tota humana natura in radice sui vitiata fuerat atque corrupta, nec deus corruptioni vel vitio peccati potest consociari. Necesse igitur fuit ut natura, de qua se hominem facere volebat, et humana et munda ab omnis peccati contagio esset. Quod⁵ ubi inveniret, cum, ut dixi, nichil incorruptum vitiata cunctorum radice existeret? Sed qui humanae perditioni subvenire disponebat, dei virtus et dei sapientia nuncupatur. Itaque ad omnia quae vult posse suppetit illi, nec sapientiae

¹ et om. 2. ² tales 3. ³ ipsa 2. ⁴ et om. 2. ⁵ ut add. 2.

illius¹ ullus est numerus, quae² pertingit a fine usque ad finem, cuncta disponens. Poterat ergo de massa peccatrice naturam humanam ab omni labe peccati³ immunem facere, unde in unam personam sui susciperet, ut homo integer esset et divinitati suae nichil minueret. Praedestinata fuit et praeordinata in hoc opus mirabile, et omnibus operibus dei praestans et incomparabile⁴, maria, scilicet, illa⁵ magni maris⁶ nobilissima stella, hoc est totius seculi illustratio, et omnium in tempestatibus diversorum casuum titubantium indeficiens levamen et consolatio, nec non ab aeternae mortis interitu paventium ac sub eius praesidium confugientium tutum iuvamen atque redemptio.

18. Te igitur, domina, quam in tantum | (p. 404) culmen praedestinavit et extulit divina potentia, quam tot praerogativis ditavit cuncta disponens dei sapientia, quam sibi matrem elegit ad mundo subveniendum ipsa omnium salvandorum ineffabilis misericordia, crediderimne, quaeso, te

¹ usus *add.* 2. ² qui 2. ³ peccatorum 3. ⁴ inenarrabile 2. ⁵ illa *om.* 2. ⁶ seu *add.* 2.

morte peccati¹, quae per invidiam diaboli occupavit orbem terrarum, in tuo conceptu potuisse praegravari? Me namque iterum atque iterum ipsas, quas superius commemoravi, rationes considerante, animus hoc credere vitat, intentio abhorret, lingua fateri non audet.

19. Quod si dicitur te, si² ante partum beati filii tui praeventa corporis morte fuisses, originalis peccati legem aliorum more evadere non potuisse, inepte dicitur, nec tanti est ut ei respondeatur. Qualiter enim mater dei futura praeeordinata fuisses³, si ad hoc te, qui praeeordinavit, deus non perduxisset? Nam in deo non est, est et non, sed simplex est in illo est. An mors valentior esse posset deo, de cuius manu valet quicumque⁴ rapere nemo? Nunc autem, quia tanti apud deum prae omni creatura habita⁵ es, ut mater eius dignissime fieri meruisses, sicut ipse non tantum super omnia⁶ castus et mundus, sed ipsa castitas ipsaque munditia est; ita tu⁷ quae illam ipsam munditiam de tua carne verum hominem paritura

¹ peccatoris 2. ² si *om.* 2. ³ praeeordinata futura fuisset 3.
⁴ quicumque 2. ⁵ habita *om.* 2. ⁶ omnia *om.* 2. ⁷ ut 2.

eras, munda prae omnibus iure esse debueras. Primordia itaque creationis tuae merito filii sanctae ecclesiae ¹ debent ² venerari, qui ³ sancta, qui ³ casta, qui ³ a corruptionis vel peccati ruga ⁴ illa credunt esse discreta.

20. Qui aliter sentiunt, quod melius approbant, faciant ⁵. Ego, piissima domina, ego tuus qualiscumque servulus, ego scio, credo et confiteor quia inde ex radice iesse pulcherrima, ac per hoc omni ⁶ quod te aliquatenus decoloraret peccati vulnere aliena prodisti, et integerrima permanens florem speciosissimum protulisti. Florem, inquam, protulisti ⁷, et non qualemcumque, sed super quem septiformis spiritus sanctus requievit, et odore vitae perennis, odore salutis aeternae, omnem creaturam gratia divinitatis suae respersit ⁸ atque replevit ⁹. Per hunc a peccato primi hominis liberamur, et mortem ¹⁰ quae per illum ¹¹ intravit

¹ ecclesiae sanctae 2. ² deberent 2. ³ si 2 3 4. ⁴ ante corr. iuga; post corr. iugo 2. ⁵ credunt 2; credant 3 4. *Vocabulo quodam deleta superscripta est haec vox faciant.* ⁶ eius 2. ⁷ protulisti inquam 2. ⁸ resperserit 2. ⁹ Desinit hic codex 4 (= Sloane 1056 A). ¹⁰ morte post corr. 2. ¹¹ illud 2 3.

in orbem terrarum evadimus. Miseras quibus opprimebatur omnis caro ob meritum ipsius delicti, iam alias in re, alias in spe, conculcat ipsa caro redempta cruore ipsius floris, unici scilicet filii tui et dilecti. Per hunc quoque non modo paradiso¹, unde adam fuit repulsus², restitui-
mur, sed et regno | (p. 405) coelorum, quod non habuit, sed habiturus erat si non peccasset, multo felicius illo et dignius invehimur. Nam si deo inobediens non fuisset, nunquam filius dei homo fieret, in quo vel pro quo mortem patiens ac resurgens regnum coelorum in substantia nostrae carnis dominandi iure penetraret.

21. Nunc autem quae gloria, quis honor, quae iubilatio cordis, quae iocunditas mentis, quae securitas aeternae beatitudinis erit humanae naturae, quando illum sibi viderit³ concorporalem⁴, quem omnis militia coelorum adorat super se verum deum, cum patre et spiritu sancto omnia regentem, omnibus imperantem, et aeterno patri suo consubstantialem et coomnipotentem⁵?

¹ paradomino (sic) 3. ² expulsus 2 3. ³ vidit 3.

⁴ corporalem 2. ⁵ cooperantem 2.

Hanc gloriam, hanc tantorum bonorum possessionem nunquam humana natura adipisceretur, si deus ipse, pro expiatione peccati adae, in carne humana non nasceretur. Multo igitur felicius et dignius in regno coelorum erimus quam si adam non peccasset futuri essemus.

22. Et quid erit, forte ait aliquis, de memoria malorum, pro quorum integerrima abolitione interminabiles gratias agent¹ illi, quem praesentem semper habebunt, suo piissimo redemptori quicumque ibi fuerint homines? Constat enim quod omnes omnium conscientiae singulis patebunt non solum hominum hominibus, sed et angelorum et² hominum³ et angelis et hominibus. Cum igitur cherubim et seraphim, throni et dominationes, aliaeque coelorum virtutes, in conscientia singulorum cognoverint peccata illorum, seque talium viderint omnino insontes, qui⁴ fieri poterit, ut eos non⁵ computent exinde viliores quam si⁶ nunquam eis aliqui tales dominati fuissent errores? Quomodo igitur felicius et dignius

¹ agente 3. ² et om. 2. ³ omnium post corr. 2. ⁴ quomodo 2. ⁵ non om. 2. ⁶ (q. s.) quasi 3.

erunt in societate angelorum, quorum vilitas notatur ex communione peccati adae estimatione ipsorum? Peccare namque infelicitas et indignitas, non peccare vero felicitas et dignitas comitatur¹.

23. Haec si quis dicit, duci quidem ratione videtur, sed² humana; nam coelestia consideranti³ alia ab istis occurrit consideratio. Non enim illi angelici spiritus, quorum similitudinem, iuxta promissum domini, adepturi sunt post hoc saeculum quique iusti homines, in eis considerabunt qui fuerint⁴, sed qui sint, licet hi in memoria sua habeant qui fuerint, ad laudem scilicet et ad⁵ gloriam salvatoris sui, et insuper ad glorificationem virtutis suae, qua per dei adiutorium fulti, facti sunt victores diaboli | (p. 406) et sui. Certe si aliquis⁶ in hac mortali carne positus aliquo gravi morbo, verbi gratia, lepra percussus, toto corpore vermibus scateret, et cunctis eum intuentibus horridus immane foeteret, si aliquo eventu, utpote medicorum iuvamine, vel respectu mira facientis

¹ ante corr. commutatur, post corr. computatur 2. ² licet 2.
³ cogitanti 2. ⁴ fuerunt 2. ⁵ ad om. 2. ⁶ quis 2.

dei misericordiae, integrae sanitati restitutus fuisset, et res¹ qui eum prius noverant innotuisset, mox ii qui illum ante abominabantur, si caritas in eis fraterna² vigeret, ipsum videre³, ipsum alloqui, in ipso gratiam dei cuperent intueri, mirari, venerari, ipsumque duplici honore censerent⁴ habendum; ipse nichilominus suae infirmitatis non immemor, aliis eam etiam ignorantibus ultro et cum quadam sui augmentatione referret, ut primo et praecipue dei gratia inde, seu medicorum perita scientia, seu sua longanimitas, quem vel devotarum precum⁵ cum bonorum operum diutina exhibitione instantia, vel medentium inflictas asperitas a salutis desiderato effectu non deflexerat, praedicaretur. Si ergo haec ita geruntur in humanis, quid putas in horum quodammodo similibus geritur in divinis? Equidem⁶ peccata, quibus dei vultus offenditur, mentis humanae vulnera atque putredines esse non nesciuntur⁷. Quae unde procedunt, nisi ex suae conditionis ingenta corruptione? Quae cor-

¹ eis *add.* 2. ² fraternas 3. ³ viderent 2. ⁴ censi 1 2 3.
⁵ precum devotarum 2. ⁶ Vel quidem 3. ⁷ nesciuntur 2.

ruptio dum transierit in incorruptionem, nichil ulterius erit quod doleat, nichil quod alicui sordescat, nichil quod cuncta cernentis dei oculos offendat. Pax igitur erit inter deum et homines, quam nullus finis includat, nulla occasio scindat, nulla offensa obnubilet. Videbitur enim ipse qui est, ut est; et gaudebitur¹ in commune in eodem ipso et ad ipsum, qui ab eo quod est, aliud omnino esse non potest.

24. Deus meus, deus meus, doce cor meum intelligere quid ibi futurum sit omnibus qui te hic dilexerunt, qui mortem tuam, vitam scilicet suam, in directione viarum suarum complexi sunt, qui tibi in sequenda voluntate tua per mandatorum tuorum custodiam adhaeserunt. Vere, bone domine, iuxta vocem beati apostoli tui, tu summe omnium bonorum, praestantissimus eris aeternaliter² in omnibus. Et quid boni poterit deesse alicui, cum te | (p. 407) habuerit, qui fons es et perfectio omnis boni? Quomodo itaque illi tui dilecti teque diligentes ad intuitum gloriae tuae

¹ gaudebit 2. ² omnia *add.* 3.

perenni iocunditate gaudentes, angelici spiritus dico, quomodo, inquam, poterunt eos praecipuo honore dignos¹ non iudicare, eos ut semetipsos non amare, quos tibi² concorporales³, quos in forma humanitatis⁴ viderint⁵ tibi consubstantiales? Quomodo eos non immensa dulcedine amplectentur⁶, quorum mira vis animi, dum viverent in carne mortali, tantum⁷ in domandis voluptatibus suis pro tuo amore in se valuit, ut pateat omni creaturae te pro eis non fuisse gratis hominem factum⁸, natum, passum, mortuum? Siquidem tibi hanc laudem pepererunt ut, quoniam eos in terra homo factus perditos requisisti, te audirent, te diligerent, tuis monitis acquiescerent, et ad te laeti pervenirent, sicque te nec in tuo consilio deceptum, nec⁹ otiose pro eis quae passus es perperessum fuisse ostenderent¹⁰. Non igitur eos omnino irrationabiliter dixi, domine, ut estimo, dignius atque felicius in regno

¹ vigentes 2. ² non *add.* 3. ³ corporales 2. ⁴ tuae *add.* 2 3. ⁵ viderunt 2. ⁶ amplectantur 2. ⁷ tantum *om.* 2. ⁸ factum *om.* 2. ⁹ nec *om.* 2. ¹⁰ ostenditur 3.

tuo esse, quam futuri essent, si adam non peccasset.

25. Ad¹ haec, alia dignitas atque felicitas sese ingerunt considerationi meae, quibus humana natura nichilominus aliena existeret², si ob meritum peccati sui primus homo paradisum non perdidisset. Virginem mariam, quae super omnes mulieres beata hodie et benedicta³ colitur et praedicatur, quam summus et omnipotens deus sibi in matrem assumpsit, et universis quae post se sunt secum dominari constituit, cum in dextera ipsius unici beatique filii sui multitudo viderit hominum in regno illo beatitudinis adunatorum consistere, nonne felicem, nonne iocundum, nonne ultra quam quivis estimare queat, statum suum iudicabit in eius consideratione ac praesentia honoratum? Virginem, inquam, de sua propagine ortam, sibi pro conditione unius naturae consimilem, prae oculis habebunt, angelis et archangelis praesidentem, omnia utpote reginam omnium

¹ *Litera maiuscula rubricata hic exhibetur in codice C.C.C.C. 371, et quidem sola quae post exordium in toto tractatus decursu intercedit.* ² existit 2. ³ hodie add. 2.

cum filio ¹ disponentem, seque dulci affectu amplectentem, sibi de collata gloria congaudentem; et fieri poterit ut ad haec non in ² immensum exultent, non se ineffabili ³ iocunditate glorificatos coniubilent? Et quidem ad hanc dignitatem nec beatissima virginum, nec numerositas hominum electorum unquam ascendisset, si filius dei ad destructionem peccati adae de sinu patris | (p. 408) hominem ex ipsa virgine assumpturus non descendisset. Igitur ⁴ propter peccatores maria facta est mater dei, quae iccirco quod ea castior, ea sanctior, ea humilior in genere humano nulla potuit reperiri, merito debuit in tantam excellentiam ab eo, quo nichil castius, nichil sanctius, sullimius est nichil ⁵, ascisci; et in ⁶ quid excellentius ascisci valeret, quam ut in perpetua virginitate permanens deum de sua carne carnem factum generaret? Hanc excellentiam contulit deus virgini mariae, eo quod illam pudicitia ⁷ cordis et corporis sibi prae omni

¹ suo *add.* 2. ² in *om.* 2. ³ inestimabili 2. ⁴ si *add.* 2. ⁵ nichil est sublimius 2. ⁶ in *om.* 2. ⁷ pudicitia illam 2.

creatura intellexit adhaerere. O felix haerere! o haerere felix!¹ haerere² illi qui solus vere est, qui solus summe est, qui nunquam deficit ulli³, qui nunquam decipit ullum sibi non⁴ ficto corde haerentem! Huic, pia domina, quoniam⁵, ut dixi, adhaesisti, haesit et ipse tibi, et modo quo nec dulcius nec dignius⁶ potuit adhaerere. Quid enim inter duos dulcius, aut⁷ dignius valet esse quam esse matris ad filium, vel filii ad matrem? Et hoc utrumque⁸ vobis est⁹, ut omnibus liquet.

26. Sed hos honores, has dignitates, haec gaudia, quibus coetus hominum coetui admistus angelorum perfruitur, ob praevaricationem primorum hominum, num illis ascribere, num illis exinde iure debent gratiosi existere? Non puto. Nec enim ea intentione praeceptum dei praevaricati sunt, ut tot bona inde procederent, sed ut modum conditionis suae, spreto deo, superbi excederent. In eo quippe quo diabolum audierunt ut dii fierent, non in-

¹ felix haerere 2. ² haerere om. 2. ³ ulli deficit 2.

⁴ non om. 2 relicto spatio. ⁵ cui 2. ⁶ nec dignius om. 2.

⁷ nec 3. ⁸ utrinque 3. ⁹ est vobis 2.

tenderunt ut ad deitatem, qua se sullimandos¹ sperabant, exterminandam filius dei² aliquando ex sua stirpe homo fieret.

27. Forte magis putavit eva se deum³ illico fore, et adam sibi consentientem deitatis suae futurum consortem. O superbia intolerabilis! o stultitia inestimabilis! o vanitas omni vanitati incomparabilis! O eva, quam propinquior verae ac summae deitati extitisses, si in status tui humilitate deo subdita perstitisses! Adam quippe, sicut apostolus ait, in praevaricatione tua seductus non fuit, quia quod serpens pollicebatur, mendacium esse intellexit. Tu autem miserrime seducta et e vestigio multiplici perversarum cupiditatum scientia imbuta, illecebrosa facundia illum ad tibi consentiendum illexisti, praesignans in hoc opere tuo veram fore futuram sententiam viri dei, mulieres scilicet apostatare facere etiam sapientes. Necdum enim tibi praepositus fuerat ex sententia dei, et ideo in perditionem tui et sui et universae posteritatis | (p. 409) vestrae illi⁴ feminea solli-

¹ illuminandos 2. ² et *add.* 2. ³ deam 2 3. ⁴ illa 2.

citatione praevaluisti. Obedivit namque voci tuae, postposita obedientia vocis dei.

28. Vae obedire, vae non obedire, vae voci mulieris contra vocem dei obedire, vae pro voce mulieris voci dei non obedire; malum hoc, malum hoc. Hinc enim omnes tribulationes et miseriae¹, quas passus est mundus, quas patitur, quas patietur, exortae sunt. Hinc decursum sortitae sunt, hinc robur et perseverantiam tenuerunt. Hinc ignorantia omnis boni, hinc scientia et executio omnis mali. Hinc dei contemptus, hinc daemonum sub simulacrorum specie nefandissimus cultus. Hinc mors vitae praesentis, hinc illi miserior mors² subiens dispendia vitae sequentis. Non ergo debet vobis humana natura gratias agere³ quod sic in filio dei est exaltata et honorata; sed vobis utique debet quod in⁴ innumera mala, quod in geminam mortem corporis et animae est deiecta et praecipitata; nec ulla esset spes haec tanta mala aliquatenus evadendi, si flos ille speciosissimus per gloriosissimam

¹ miseria 3. ² subditis *add.* 2. ³ habere 2. ⁴ in *om.* 2.

virgam de radice iesse nobiliter ortam, non sumpsisset initium nascendi. Sed ipse in mundo natus ordine quo voluit, spiritus sancti super se in gratiarum suarum plenitudine quiescentis, suis auditoribus dona distribuit, et mundum ab ignorantia veri boni, et aliis malis inde manantibus, quae incurrit per adam, potenter eduxit, atque ad amissam regni coelestis conversationem iam alios in re, alios in spe misericorditer reduxit.

29. Patet igitur quid cui debeat genus humanum, cui quod in ¹ infima humiliatum atque prostratum, cui quod in summa est exaltatum et glorificatum. Vos igitur, o adam et eva, vos, vos accusat; vobis vestra progenies mala quae sustinet imputat; se per vos paradiso exclusam, se miseriis continuis per vos intrusam ² miseranda lamentatione deplorat. Et non immerito quidem. Causa evidens est, nec refragari potest. Quid igitur, deus omnium, quid faceret opus manuum tuarum, ex praevaricatione horum parentum suorum per-

¹ in om. 3. ² et add. 3.

ennibus poenis et aeternae morti obnoxium, si non venires, si non subvenires? Quo fugeret, quo delitesceret, quo evaderet? Utique consilium nullum, refugium nullum, remedium nullum, nusquam protectio ulla; sed venisti, et qualiter haec omnia adipisceremur efficaciter ostendisti. Si ergo ii¹ qui post adventum tuum, domine, venerunt, non salvantur; non habent praeter se ipsos, contra quos² aequo iudicio | (p. 410) inde conquerantur.

30. Quid igitur facient? Ut mihi quidem, domine, videtur, ultimum et unicum consilium est omnibus qui volunt salvari, ut primo tibi intimas ex corde pro omnibus beneficiis tuis grates exolvant³, te diligant, ac demum⁴ praeceptis tuis obediant; sicque se ad te perventuros segura fiducia sperent. Sed ad haec, pie pater, quis idoneus? Utique nemo, nisi tuo fultus adminiculo. Tu enim summum omnium bonorum es⁵, quin⁶ et ipsum summum bonum es; nec quicquam boni potest esse, vel fieri vel haberi, nisi aut a te, aut per

¹ hii 2. ² quorum 2. ³ bene solvant 2. ⁴ deinde 2.

⁵ es om. 2. ⁶ quia 2.

te, aut de te. Nichil itaque boni sine te valet quisquam facere. Redemisti nos, domine, deus veritatis; ne ¹ propter scelera nostra exerceas contra nos iudicium tuae severitatis. Voluisti fieri homo pro nobis; intende ut esse possimus quod ut essemus factus es unus ex nobis. Quod petimus, honor tuus est ut fiat. Nam si non fit ², videberis a proposito tuo quodammodo defecisse. Verum nulla disceptatio ³ nobis est tecum, quia dominus es, et unum verbum tuum validius ⁴ nostris mille. Si enim omnes iustitiae nostrae coram te sunt sicut pannus menstruatae, quid erunt iniustitiae nostrae a seipsis et a nostris inimicis ante faciem tuam denudatae? Vae, vae, quis hinc prodeuntem perturbatae ⁵ mentis confusionem, quis terrifici horroris ⁶ explicare poterit immanitatem? Et si confusio ⁷ horroris horridaeque confusionis immanitas est modo ⁸ nobis inexplicabilis, districta malorum examinatio in futuro examine cui erit tolerabilis? ⁹ Heu! pec-

¹ et 3. ² sit 2. ³ deceptatio 2. ⁴ est *add.* 2. ⁵ perturbare 3. ⁶ erroris 2. ⁷ confusi 2. ⁸ modo est 2. ⁹ intolerabilis 2.

catores homines, quos haec omnia mala ex adam stirpe respiciunt, quid faciemus in istis? ¹ Desperabimus? Absit! Quid tunc? O fons david patens in ablutionem menstruatae, flue usque ² ad nos, et consule quod ³ expediat nobis.

31. O pietas! vere bone domine, video, vivens gaudeo, gaudens amplector consilium quod post singularem misericordiam tuam providisti salubrius fore nobis. Et quod vel quale? Nimirum mente, vultu, voce ad eam redire, cuius supra meminimus, dulcissimam matrem tuam, piissimam scilicet dominam nostram, a cuius castitatis contemplatione, a cuius dignitatis consideratione, a cuius sullimitatis speculatione, in has angustias, quaedam animo non abolenda commemorando, devenimus, ipsamque pura devotione interpellare, ut nobis consulat, nobis supereminenti, qua praeeminet apud te, gratia | (p. 411) subveniat. Procul dubio namque scimus eam tanti esse penes te, ut nichil eorum ⁴ quae volet ⁵ efficere, aliquatenus possit effectu

¹ ipsis 2. ² usque *om.* 2. ³ quid 2. ⁴ horum 2.
⁵ nollet 2.

carere. Salus igitur nostra in voluntate sua consistit¹, dum totum quod vult potenter efficit. Quod² itaque consilium salubrius nobis, quos³ involvit finis saeculi, daret filius eius finis cunctorum, quam currere ad ipsam, quae de carne sua generavit eundem ipsum, sine quo non fit ulla remissio peccatorum? Vere bonus, vere pius, vere volens misericordiam est⁴.

32. Et tu, domina, ad cuius subsidium nos mittit dulcissimus filius tuus, quid dicis nobis? Ipse enim⁵ misericordia nostra est⁶, et tu eiusdem misericordiae mater es. Quid, inquam, dicis nobis? Forsan, domina, ut sub alarum suarum protectionem⁷ confugiamus. Bene. At licet misericordiam illius, sicut decet, gratanter amplectamur, tamen iustitiam eius non parum formidamus. Ne igitur quaerentibus misericordiam obtendat iustitiam suam, precamur, adesto nobis, et age causam nostram pro nobis. Ipse namque magni consilii summus angelus consuluit nobis

¹ constitit 2. ² Quid 2. ³ quod 3. ⁴ est om. 2. ⁵ est add. 2. ⁶ est om. 2. ⁷ protectione 2.

venire ad te, ne¹ tuo nudatos auxilio summoveas nos a te¹. Certe peccatores nos esse cognoscimus et damnari meremur, et iuste quidem, non negamus. Sed aequè iustum esse profitemur ut voluntatem ipsius faciat qui voluntati suae in cunctis quae agit concordare non detrectat. Et quis unquam voluntati illius magis concors exstitit quam tu, cuius tota subsistentia ab impletione voluntatis eius otiosa nunquam fuit? Velis itaque solummodo, domina, ut ille iustissimus iudex nobis misereatur; profecto iustum erit, nulla ratione obsistente, ut velle tuum perficiatur. Noli ergo, noli propter misericordiam, cuius mater esse probaris, nobis deesse; quia velle tuum non postponet in salute nostra, qui ut salvemur factus est per te frater noster.

33. O mira operatio conditoris! o immensa consolatio peccatoris! Et o domina, si filius tuus est factus per te frater noster, nonne et tu per illum facta es mater nostra? Hoc enim iam mortem pro nobis² subiturus

¹ e . . . a te om. 2. ² p. n. om. 3.

in cruce dixit ioanni, utique homini, nec aliud quam nos in natura suae conditionis habenti: ecce, inquiens, mater tua. O peccator homo, gaude¹ et exulta. Non est enim unde desperes, non est quod formides. Quicquid iudicabitur de te, totum pendet² ex sententia fratris et matris tuae. Ne ergo avertas aurem cordis tui a consilio illorum. Iudex tuus³, videlicet⁴ frater tuus, docuit te fugere ad subsidium matris suae⁵, et | (p. 412) ipsa eadem mater tua monuit te protectioni alarum filii sui fiducialiter inhaerere, seque tibi, ne eius iustitia gravareris⁶, non negavit affuturam.

34. Maria, quid dicemus? quali organo vocis, vel quali iubilo cordis exprimemus quantum tibi debemus? Uti que, domina, quicquid intellexerimus, quicquid mente conceperimus, quicquid ore protulerimus, minimum est et quasi nichili⁷ ad ea quae tibi ex aequo debemus. Tu namque ante omnem creaturam in mente dei praeordinata fuisti, ut⁸ omnium feminarum castissima deum ipsum verum hominem

¹ gaude *add.* 2. ² tendit 2. ³ tuus iudex 2. ⁴ videlicet *om.* 2. ⁵ tuae 2. ⁶ gravia geres 2. ⁷ nichil 2. ⁸ et 3.

ex tua carne ¹ generares ², ut omnibus post ipsum filium tuum regina coelorum effecta gloriosa regnares, ut perduto mundo recuperationis aditum et vitae perennis emolumentum praeparares. Tu genus ³ humanum aeternitatis gloria nudatum, per beatae fecunditatis tuae virgineum partum, in pristinum statum reduxisti. Tu leges inferni, devicto per mortem filii tui principe mortis, evertisti. Tu denique cunctis deum ac dominum, quem ignorabant, visibilem et propitiorem exhibuisti. Per te, domina, vitam perditam in unigenito tuo recuperavimus; per te est, si quid boni sumus, sive possumus, sive ⁴ habemus; per te ad aeternam gloriam quicumque sumus perventuri perveniemus. Tu post deum summa ac singularis consolatio nostra: tu felix atque beata gloriatio ⁵ nostra, tu ad regna coelorum ductrix ac subvectio nostra: tu, quaesumus, esto in ipso beatitudinis regno susceprix et perpetua exultatio nostra ⁶. Ergo secundum beatum et misericors consilium specialis

¹ carne tua 2. ² procreares 2. ³ ergo 2. ⁴ seu 3. ⁵ gloriatio 2. ⁶ nostra om. 2.

misericordiae nostrae ¹, dulcissimae scilicet prolis tuae, ad te confugimus; tu procura ne in vanum ² hoc fecerimus. Re ³ etenim vera si defeceris nobis, nichil erit ⁴ tutum nobis. Ne igitur tantum attendas iniustitias nostras, ut quibus huc usque ⁵ prae omnibus praedita fuisti, postponas misericordias tuas. Ei qui summe omnium est, nec ab eo quod est mutari ullatenus potest, aeternaliter haeres et ea re, quaesumus, ne in largitione misericordiae, qua erga omnes hactenus usa es, alia sis quam te fuisse ⁶ certissime scimus.

35. Et utique, domina, non te decet a filii tui voluntate discrepare, qui ad miserendum ⁷ generi humano se naturae nostrae consortem vultui ⁸ patris sui non cessat perenniter demonstrare. Et ipsa naturae nostrae ⁹ demonstratio quid aliud est quam ad provocandum super nos misericordiam suam quaedam ineffabilis pietatis incitatio? In ipso ¹⁰ enim sibi complacuisse pater ipse testatur; nec fieri

¹ vestrae 3. ² vacuum 2. ³ Recte 2. ⁴ erit nichil 2.
⁵ utriusque 2. ⁶ fuisse *om.* 2. ⁷ miserandum 2. ⁸ vultui
consortem 2. ⁹ consortis *add.* 2. ¹⁰ ipsa 2.

potest ut quibus ipse vult misereri, non misereatur. Summus igitur pater participibus filii sui vult misereri | (p. 413) et ipse filius eos ingerit per se conspectui misericordiae patris sui; et tu unica mater eiusdem unici filii dei repelles ab uberibus misericordiae tuae quos, ut dixi, et pater filii tui et idem ipse filius tuus vocant et revocant in sinum gratiae suae? Tu exasperareris contra nos propter iniquitates nostras, cum filius tuus, quem maxime offendimus, morti se tradidit pro delendis iniquitatibus nostris? Severior videlicet illi esses super nos, cum eiusdem conditionis sis, cuius et nos. Naturam tuam, domina, excederes.

36. Sed fortasse tantum amas iustitiam dei contra peccantes in eum, ut malis¹ illum² exercere vindictam quam exhibere misericordiam. Quod si ita est, cur, domina, cuidam olim ope tua magnopere indigenti, et quae esses nescienti, matrem te potius misericordiae dulci voce respondisti quam iustitiae; cum filius tuus non

¹ maius 2. ² illis 2.

minus sit vera et incommutabilis iustitia quam vera et appetibilis misericordia? Ea fortassis consideratione, quoniam si te iustitiae matrem diceres, magnam non solum ei quem in angustia positum omnino misericordia (postposita iustitiae severitate) opus habere sciebas; verum etiam nobis pauperibus tuis spem veniae tollereres, et ¹ singularis refugii ostium crudelem humani generis persecutorem fugientibus quodammodo inimicis occluderes ². Quis enim cum iustitia dei iudicium subiens, non ut vestimentum conteritur, non deterius quam a tinea devoratur?

37. Quapropter, pia domina, dulcis et clementissima domini mater, attende fragilitatis nostrae gravem necessitatem, et ostende super nos effectum te esse ³ quod iocundo affatu te esse ⁴ cognovisti; quod si feceris ⁵, ad nos salvandos filio tuo et patri suo procul dubio concors eris. Benignissimus quippe filius tuus desiderat salutem nostram, et in tantum, ut quo illam incommutabilem et aeternam faceret, aeter-

¹ id est 2. ² excluderes 2 3. ³ de te 2. ⁴ q. i.
a. t. e. om. 3. ⁵ ceperis 2.

nitatem suam momentanea mutabilitate nostra indueret. Verax quoque et iustissimus pater suus ita in illo¹ sibi per omnia complacet ut nichil eorum nolit quae² illum velle intelligit. Velis³ itaque solummodo quod vult ipse: nil restabit quod possit obsistere salutis nostrae. Sed te non velle⁴ quod deus vult, nefas est vel⁵ opinari. Gaude igitur et exulta, humana natura; omnia quippe tibi prospera christus filius sanctae mariae paravit⁶, dum se ex ea propter te in substantiae tuae veritate creavit.

38. Domina, domina, quod ego qualiscunque homuncio, et vere magnus peccator haec⁷ corde impuro⁸ de te meditari, fetido ore effari, pollutis digitis ausus fui describere, parce, quaeso, parce et miserere. Nosti enim, pia domina, haec me ita praesumpsisse, quia talem me confiteor esse ut nec | (p. 414) coelo nec terra me iudicem dignum esse; et ideo nimis anxius vellem, si quomodo valerem, eniti quatinus

¹ in i. om. 2. ² qui 2. ³ Velit post corr. 2. ⁴ (n. v.) nolle 2. ⁵ vel om. 2. ⁶ paravit om. 2 relicto spatio. ⁷ haec om. 2. ⁸ (c. i.) impure 2.

aliquo miserationis suae intuitu super me deus intenderet, qui sua ineffabili gratia vel modicum sancti amoris affectum erga benignitatis tuae dulcedinem in me accenderet. Confido quippe quoniam si hoc faceret, ab iis¹ quae merui poenis inferni sua misratio tuaque subventio me forte redimerent. Quapropter, domina, ne indigneris quasi audaci ac² praesumptuoso, quia si³ quid horum⁴ in istis esse videtur, mea gravis necessitas compulit⁵, et tua grandis et omni saeculo probata bonitas suasit.

39. Ultima ergo⁶ atque suprema votorum meorum intentio est, ut vel in extremo examine iustissimi filii tui, si me, remota misericordia, severa sententia crudeli tortori damnandum tradiderit, subvenias, et me ad inferos rapienti occurras, ac manica misericordissimae defensionis tuae protectum, ne in aeternum damner, eripias. Et quidem, domina, quondam parvulis, et forte mihi, si non fallor, hoc a matronis, cum ad verbera raperentur⁷ a paedagogo,

¹ hiis 2. ² et 2. ³ sicut 2. ⁴ q. h. om. 2. ⁵ complevit 2. ⁶ igitur 2. ⁷ verba separentur 2.

impensum reminiscor, et ob hoc illis nonnulli valde gratiosi fuerunt, ac pietatis viscera, quibus in eorum pia liberatione usae sunt, magnifice praedicaverunt. Si illae igitur¹ pro tantilla gratia magno praedicari meruerunt, quibus, quaeso, praeconiis a coeli civibus, qui de peccatorum salvatione gratulantur, praedicaberis², cum mei magni peccatoris, ut dixi, miserta fueris? Utique beatus et bonus filius tuus dominus iesus dixit ita gaudium esse in coelo, angelis dei, super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis, qui non indigent poenitentia. Cum ergo pro uno³ poenitente fiat gaudium in coelis, quoniam in eo quod illum malorum suorum poenitet, tendit ad salutem, quale gaudium erit, domina, quando aliquis liberatus ab omni malo pervenit ad ipsam salutem? Si igitur me a meritis poenis liberatum, aeternae salutis participem feceris, nimium⁴ totam curiam regni coelorum exhilarabis.

¹ Si igitur illae 2. ² praedicabaris 3. ³ uno *om.* 2.

⁴ nimirum 3.

40. Quapropter, piissima domina mater, ne tanti pendas enormem¹ immanitatem criminum meorum, ut postponas magnitudinem gaudiorum pro remissione illorum congratulantium² angelorum. Domina, domina, quid futurus vel facturus sim penitus ignoro; et ideo quicquid de me sit eventurum, praesentem postulationem ne oblivioni tradas obsecro; per dulcissimam dilectionem qua diligis unicum filium tuum, hoc est ut me³ erutum a mortis auctore⁴ transferas in sortem vitae aeternae; et tu, singulare praesidium omnium ad te confugientium, vere et unice fili huius⁵ castissimae | (p. 415) virginis, dominae meae, rogo te⁶ per dilectionem, qua diligis ipsam dulcissimam matrem tuam, sentiam quandoque per effectum, quod mihi per eandem piissimam genitricem tuam opto impendi, tepido licet, qualicunque tamen affectu. Quod si multitudo scelerum meorum iustitiam tuam ad me damnandum magis erexerit⁷ quam pietas matris tuae misericordiam tuam ad parcendum inclinaverit,

¹ enormem om. ¹ post rasuram. ² gratulantium 2. ³ me om. 2. ⁴ anchoris post corr. 2. ⁵ eius 2. ⁶ te om. 2. ⁷ erexit 2.

tu, qui ubique¹ praesens, et in omni loco aequae potens es, aliquid mihi tuae protectionis, quo ab inimicis meis abscondar, obstaculum inveni, ne praeda daemonum factus, detrudar in profunditatibus malorum inferni. Ac² si nec in hoc merear exaudiri, saltem in inferno³ constitutum memoria et⁴ cognitione beati nominis tui privari non sinas, ne sathanae similis et cohaeres⁵ iustitiam tuam reprehendam, sicque aequitatis tuae examen perversi murmuris obstinatione gravius⁶ feram.

41. Bone domine, bone, si in his⁷ omnibus aures misericordiae tuae mihi occludis, profecto non video quid amplius rogem, quod largitate misericordiarum tuarum mihi impendas. Et haec⁸ ignorantia nimirum ex multitudine iniquitatum mearum mihi provenit. Nam si densis illarum tenebris obvolutus non essem, tu, qui lux es indeficiens, non mihi deficeres, sed ignorantiae meae tenebras radio tuae claritatis procul abigeres⁹, sicque in lumine tuo constitutus

¹ es *add.* 2. ² At 2. ³ infernum 2. ⁴ in 2. ⁵ cohaerens 2. ⁶ gravamen 2. ⁷ his *om.* 2. ⁸ hoc 2. ⁹ abigeres 2.

viderem te non esse deum volentem iniquitatem, et tamen et¹ nosse et posse habere cum pia voluntate² inestimabilibus modis³ subveniendi lapsis et oppressis miseria et iniquitate. Et hoc, domine⁴, sic esse firmissime credo, ac per hoc intimo corde teneo et ore profiteor, quia quicquid de me feceris, qualicumque videlicet malorum pondere presseris, nullo iniustitiae livore turbatus in id⁵ pertraheris⁶. Sis igitur deletis ac dimissis peccatis nostris, talis erga nos, propter dulcem amorem dulcissimae matris tuae⁷, ut reipsa experiamur te misericordiam illam veraciter esse, quam ipsa pio ore confessa est se ob salutem generis humani de suae carnis substantia verum hominem genuisse. Amen.

Explicit de conceptione sanctae mariae.

¹ et *om.* 2. ² et *add.* 3. ³ inaestimabiles modos 2.
⁴ Domine, et hoc 2. ⁵ iis 2. ⁶ pertraharis 3. ⁷ suae 2.



APPENDIX A.

[EPISTOLA OSBERTI DE CLARA AD
ANSELMUM ABBATEM SANCTI EAD-
MUNDI DE FESTO CONCEPTIONIS
BEATAE MARIAE TUNC TEMPORIS
NUPER INTRODUCTO ¹.]

(Ex codice Cottoniano Musei Britannici, Vitellius A. XVII,
fol. 24—26.)

Suavissimo domino ac serenissimo patri
Anselmo ² dei gratia sanctae romanae ec-
clesiae filio uterino servus eius frater Os-
bertus vivere et laetari in domino.

¹ Haec epistola, quae in codice titulo caret, ut patet ex saepius laudata dissertatione domini Edmundi Bishop (Downside Review, April 1886, p. 114), anno 1128 vel 1129 ad Anselmum directa esse videtur.

² In hoc codice nomina quaedam propria, v. g. MARIA, ANSELMUS etc., apicibus maiusculis per totum scribuntur. Ne nimis a consueta imprimendi ratione discedamus hoc literis tantum initialibus indicare visum est.

Quoniam diligentia sollicitudinis vestrae per diversa mundi spacia multos ad amorem beatae et gloriosae dei genitricis Mariae ferventer accendit, quae castis visceribus perpetuae virginitatis auctorem coeli et terrae christum dominum concepit et peperit, etiam in multis locis celebratur eius vestra sedulitate festa conceptio quam antiquitus apud patres veteres celebrare non consuevit christiana religio. Unde in ecclesia dei cum a nobis celebris ageretur illius diei festivitas, quidam post sathan abeuntes dixerunt esse ridiculum quod usque ad haec tempora omnibus fuisset saeculis inauditum. Et in livore ac felle suae maliciae perdurantes duos episcopos qui tunc in vicinio forte aderant Rogerum¹ videlicet et Bernardum² adeuntes convenerunt, ac de novitate solennitatis exortae facta relatione animos eorum ad indignationem provocaverunt. Qui hanc festivitatem |(fol. 24b) prohibitam dicentes in concilio affirmaverunt quod cassanda esset nec tenenda

¹ Episcopus Saresberiensis (Salisbury), 1107—1139.

² Episcopus Menevensis (St. David's), 1115—1147.

ista tradicio. Nos tamen coepto diei insistentes officio cum gaudio gloriosam festivitatem exegimus et solenni tripudio. Postremo vero aemuli mei et qui canino dente bona invidentes rodunt aliorum, qui vanas suas ineptias semper nituntur approbare, et dicta et facta religiosorum molliuntur improbare, nescientes secundum apostolum neque quae loquuntur neque de quibus affirmant, evomuere venenum iniquitatis suae et in me sagittas linguae pestiferae iaculantes asseverarunt tenendam non esse festivitatem cuius primordia romanae ecclesiae non habent auctoritatem. Quos me rationabiliter refellente et eis secundum maliciam eorum respondente, multi testimonium perhibuerunt quoniam et in hoc regno et in transmarinis partibus a nonnullis episcopis et abbatibus in ecclesiis dei celebris instituta est illius diei recordatio, de cuius summa redemptionis nostrae salutari processit exordio. Plurimumque exquisita multa induximus argumenta quibus in cordibus fidelium catholica de beata Mariae conceptione confirmaretur sententia. Si enim beatus iohannes, quem deus pater

praecursorem misit filio | (fol. 25a) suo, angelo annuntiante conceptus est, et in utero matris suae sanctificatus, multo magis credendum est in ipsa conceptione eandem sanctificatam fuisse, de cuius carne sanctus sanctorum processit in mundo factus caro tanquam sponsus de thalamo suo. Quod si conceptio celebratur servi quid debet fieri de conceptione matris domini? Et si beatum iohannem emundavit et docuit spiritus dei quando contra salvatoris adventum hunc exultasse in gaudio testata est elizabeth in utero suo, dubitandum non est quin domus sapientiae dei intra materna viscera fabricata gratia spiritus sancti tota sit repleta, ardore concremata, candore virtutum dealbata et ab omni macula corporaliter etiam purificata. Et quid mirum si in ipsa conceptione omnipotens deus illam gloriosam materiam virginei corporis sanctificavit quando ieremiam quosdamque alios in utero materno constitutos sanctificare voluit? Sicut enim deo fuit possibile ut de costa Adae primam matrem sine peccato plasmata adiutorium viro tribueret, ita ei non impossibile fuisse

credimus ut ex massa praevaricationis Adae beatam virginem Mariam sine contagione peccati in ipsa conceptione sanctificaret, per quam adiutorium humano generi de morte ad vitam | (fol. 25 b) resurgendi ante tempora praedestinatum donaret. Sanctificavit igitur altissimum tabernaculum suum et ipso creationis et conceptionis exordio in matris utero virginalem fabricam et thalamum septem spiritus sancti columnis subnixum ab omni colluvione emundavit, defaecavit, illuminavit, neque aliquid impuritatis in carne illa de qua caro redemptionis nostrae assumenda erat reliquit. Et quia controversiae scismata facientium, scandala moventium, haeretice garrientium, obstruendae sunt in domo dei, catholica veritate et ecclesiastica defensione fidelium, ad hoc tendit stilus meus ut cum talibus religiosis personis et litteratis de hac invidorum calumnia et genitricis dei conceptione gloriosa vel scripto vel verbo loquamini, qui et subtilia sanctae scripturae argumenta non ignorent et vobiscum defendere contra inimicos veritatis causam beatae virginis Mariae non formi-

APPENDIX B.

[EPISTOLA EIUSDEM OSBERTI DE
CLARA AD WARINUM DECANUM
WIGORNIENSEM DE SERMONE QUEM
ROGATU WARINI CONSCRIPSERAT
OSBERTUS IN FESTUM CONCEPTIO-
NIS B. MARIAE. ¹]

(Ex eodem codice Vitellius A. XVII, fol. 98—99.)

Rogasti me pater Warine, venerabilis de-
cane Wigornensis ecclesiae, ut aliquid
scribendo tibi de conceptione beatissimae
ac perpetuae virginis Mariae deberem in-
nuere quod ad celebranda tantae festivi-

¹ Deest titulus, sed in margine inferiori scriptum est
manu recentiori: „Incipit prologus in conceptionem beatae dei
genitricis Mariae.“

tatis | (fol. 98 b) gaudia animos posset audientium alacrius incitare. Cuius operis excellentiae cum me profitear exequendae minus idoneum, timeo ne unde nequeam emergere incidam in infinitae profunditatis abyssum. Quis enim tam glorioso dignus existat officio? Aut quis se tam egregio metiri parem iudicet archano? Angeli de hoc mirantur in superis, et homo peccator id presumet in infimis? Coelestes ut opinor spiritus sibi crederent esse difficile quod tuis hortaris monitis ut polluta gestans labia debeam explicare. Utinam ergo veniat ad me cum ignito angelus ille carbone, qui labia purificavit inmunda prophetae. Utinam de superno altari incendium illud accipiat, unde tactum os meum in laudes preciosae matris dei solenniter erumpat. Dicere tamen non audeo quod de hac sancta generatione corde concipio¹; quoniam coelestes non licet palam

¹ Perclare ni fallor hic innuit Osbertus se de *immaculata* B. Virginis conceptione disserere non audere, ne contradictorum in se invidiam concitaret. Ideo in iis quae sequuntur de hac propositione prorsus tacet, nempe quod B. Maria absque peccati originalis macula concepta fuerit.

margaritas coram multis spargere, qui ad solis claritatem densiores erroris sui tenebras sibi consueverant cumulare. Nolo tamen ut aliquis aemulus cynico me dente incipiat rodere et detractionibus perversis integritatem fidei meae lacerans infestare. Utinam universa de mea | (fol. 99a) credulitate expertum haberet ecclesia quomae sibi praesidio vendicet et tueatur catholica fides et orthodoxa. Corde autem credo et ore confiteor quod ante saecula temporalia deus sibi matrem praelegit virginem, de cuius aula virginalis uteri faceret egredi mortalitatis humanae piissimum redemptorem. Et in illo ventre tanquam in thalamo regali nuptias praordinavit ecclesiae quas ad perfectum usque perduxit, cum incarnationis suae mysterium, passionis et resurrectionis simulque ascensionis ascendens ad patrem admirabili consummatione conclusit. Huius indicibilis misericordiae ioachim deo imperante, quasi figulus extitit, et uxor eius anna, tantae lebes ut decuit gratiae, parens officiosa radiavit. De quorum carne in hac conceptione tota illa dulcedo et coe-

leste nectar effluxit, quod a seth filio resurrectionis usque ad tempus quo virgo concepta est, in omnes iustos emanare potuit. Desinant ergo infideles et haeretici de hac sancta sollemnitate in sua vanitate multiplicia loqui, et discant quia filii matris gratiae non de actu peccati celebritatem faciunt, sed de primitiis¹ redemptionis nostrae multiplicia sanctae novitatis | (fol. 99 b) gaudia sollemniter ostendunt. Non potui igitur tuae reluctari, pater, obedientiae², sed tuum executus sum ut decet imperium et sermonem tibi transmitto qualicumque vulgari lima minus decenter artificiali decore politum. Hocque fidencioribus animis opus arripio, quia referre consueveras quod de beata prius anna conscripseram multis in legendo placuisse fidelibus, et quod per nonnullas iam solenni veneratione diffusus esset ecclesias ille tractatus³. Accipe ergo quod tibi negare non audeo,

¹ *Cod.* praemitiis.

² *Superscripsit corrector* postulationi.

³ Ex alia Osberti epistola constat hunc tractatum de Beata Anna ante annum 1125 conscribi non potuisse.

illudque representare saepius ex mea se-
dulitate coelorum reginae non desinas;
quae sua in effabili pietate maculas sce-
lerum nostrorum purificabit occultas. Vale,
pater in Christo, et sanctae novitatis in-
cudem agredi solenniter tali ne pigriteris
exordio.



APPENDIX C.

ITEM SERMO DE CONCEPTIONE SANCTE MARIE.

(Ex eodem ms. Cotton., Vitellius A. XVII, fol. 101 b—109 b.)

Hodiernae diei mysterium a saeculis antiquis dilectissimi absconditum, in fine autem saeculorum novissimis temporibus mirabiliter declaratum, adiuvante domino karitati vestrae, prout vires suppetunt, suscepimus exponendum. |(fol. 102a) Profunda atque inscrutabilia sunt archana misericordiae dei quae quadam sollicita pietate saluti nostrae impensa vobis suffragantibus volumus perscrutari. Haec itaque dies tocus est humanae redemptionis initium, omniumque novitas novitatum. In qua

veteris origo naturae, praevaricatione corrupta inobedientiae antiquae, reparationis novitate praevenitur, sicque per incrementa virtutum ad gloriam angelicae dignitatis perducitur. Sed res ardua et quae humano explicari non potest ingenio auxilio est attemtanda et incipienda divino. Hodie gloriosa illa caro beatæ virginis Mariæ ut nasceretur in mundo concepta est; de qua secreto quo novit mysterio unigenitum dei patris verbum caro factum est. Hodie læticia sempiterna humano generi appropinquavit; hodie perpetuæ mortis cruentus prædo et funestus exactor habenas tyrannidis suæ licet ignorans a filiis ævæ¹ suspendere coepit. Iccirco diabolus suspendit flagellum, quia per hanc genituram voluit dominus terminare peccatum. Et quod hostis antiquus in ista conceptione sibi futurum sperabat obnoxium, ad perpetuæ suæ perdicionis | (fol. 102 b) retorsit augmentum. Nam hæc est mulier illa de qua dixit dominus quod inimicitias poneret inter serpentem et mulierem; quæ veteris

¹ i. e. Evæ.

colubri caput conterere et dei sapientia de carne sua incarnata meruit quam maxime triumphare; quae virginitate deo sacrificata, concupiscentiam carnis extinxit, et in humilitatis arce collocata paupertatem spiritus amplectens concupiscentiam mentis funditus extirpavit. Ita igitur beata dei genitrix et perpetua virgo Maria, principalem diaboli suggestionem devicit, et tortuosum caput draconis virtutis gladio viriliter secuit. Nec altera quam ista in tota serie generationis humanae mulier reperiri posset, de qua deus in mundi nascentis exordio praesagium illud insigne praemisisset.

Et haec est dies gloriosa in qua tanta mundo concessa sunt concipienda beneficia, quae in beata virgine Maria impleta praedicat et gratulatur omnis terra. Audiamus igitur dilectissimi quid de generatione eius scriptum sit in libro generationis coeli et terrae; quoniam quidem promissimus vobis vel pauca disserere quae ad praesentis sacramentum diei rationabili concordia videantur pertinere. Cum enim | (fol. 103a) deus benedixisset abrahamae et

promisisset quod in ysaac hereditarium semen acciperet, illa siquidem caro benedicebatur in illo¹ de qua filius dei carnis originem traheret, et nos per adoptionem heredes dei suosque coheredes et semen abrahamae procrearet. Cui summus sacerdos dei melchisedech et rex salem benedicens, cum panem et vinum offerret, significavit quod in carne patriarchae carnem beatæ virginis Mariæ benediceret; de qua verus pontifex et rex summae civitatis christus exortus, mysterio nos suae passionis a debito mortis repararet. Legimus etiam abraham, patriarcham longaevum et patrem credentium, vocasse servum priorem qui praeerat domui suae, et dixisse ei: „Pone manum tuam subter femur meum, et adiurabo te per dominum deum coeli et terrae, quod non accipies uxorem filio meo ysaac de filiabus chananeorum.“ Quid itaque femoris nomine, sicut beatus Gregorius ait, nisi propagatio carnis exprimitur? Unde de redemptore nostro per

¹ *scil.* in Isaac benedicebatur illa caro de qua filius Dei carnis originem traheret.

iohannem dicitur: „Habebat in vestimento et in femore suo scriptum, rex regum et dominus dominantium.“ Quid autem vestimentum eius est nisi corpus quod sumpsit ex virgine? Nam nostrum quoque vestimentum caro dicitur; sed tamen ipsi nos | (fol. 103b) sumus caro qua vestimur.

Et quia per propaginem generis humani in hoc mundo¹ venit ex virgine, et per incarnationis suae mysterium quia rex esset et dominus cunctis ubique gentibus indicavit, in vestimento et in femore scriptum habuit *rex regum et dominus dominantium*. De femore abrahamae concepta virgo Maria exiit, in cuius utero unigenitus patris per spiritum sanctum incarnari dignatus est, ex qua incarnatione universo innotuit mundo deus. Iure ergo servus adiuratus non super femur manum suam sed subter posuit, quia ex eodem

¹ Multum neglecta fuit, ni fallor, a medii aevi scriptoribus, etiam literatis, regula de accusativo post *in*. Exemplo sit sequentia *Victimae paschali*: „Surrexit Christus spes mea, praecedet vos in Galilaea[m].“ Saepius occurrunt eiusmodi lapsus quam ut soli oscitantiae scribarum attribuantur.

beatam virginem Mariam propagandam figuravit, quae coeli ac terrae dominum de carne sua salvo virginitatis honore generavit. Nec immerito factum est ut servus super illud femur manum suam ponere recusaret, de quo creator omnium dominus corporaliter creandus erat, qui universa quae in coelis sunt et quae in terris nutu suo atque imperio creata gubernat. Cuius mysterii figuram moyses aspexisse legitur, quando eum domino vocante rubus ardebat et non consumebatur. Quid itaque est flamma in rubo nisi deitas in corpore humano? Sed rubum ardentem non consumpsit incendium, quia beata Maria | (fol. 104a) sic concepit et peperit filium ut virgo maneret intacta post partum. Et sic inter homines perfectus homo factus est unicus filius dei, ut sua peccata non haberet et spinas nostrae nequitiae susciperet atque usque ad passionem pro nobis se dignaretur humiliare et in semetipso ignem tribulationis nostrae suscipere. Sed arsit et non arsit, quia et ex humanitate mortuus est et tamen immortalis ex divinitate per-

mansit. Suscepit a nobis unde fieret pro nobis sacrificium, et tamen impassibilis atque incommutabilis permansit in propriis ut nos commutaret a nostris.

Magna gratiae commendatio, magna dilectio. Huius gratiae novitatem bene significasse legitur virga illa aaron summi sacerdotis, a sancto moyse accepta et inter virgas filiorum israel nominibus scriptis imposita, quae nullo animata suco, nullo radicata plantario, absque omni humanae operationis adminiculo, inventa est altera die fronduisse, floruisse et peperisse amigdala. Quam precepit dominus pro miraculo reservari et ad monimentum futurorum in tabernaculo testimonii reponi, ut posterius cotidie per successiones inquirerent quid virga illa in populo israel fructificasse significaret. Virga itaque illa | (fol. 104b) aaron beata intelligitur virgo Maria, quae sine humanae consuetudinis ordine, christum verum sacerdotem spiritu sancto obumbrante concepit et decursis novem mensibus absque sui detrimento pudoris in bethleem iudae pariens virgo post partum illibata permansit. Et hic est

novi testamenti sacerdos et mediator de quo locutus est dominus ad heli in sylo cum reprobaret eum et filios eius et omnem domum eius: „Suscitabo mihi sacerdotem fidelem qui omnia quae sunt in corde meo et quae in anima mea faciat, et aedificabo ei domum fidelem.“

Quis est iste sacerdos, dilectissimi, quem iuxta cor suum sibi suscitavit deus, nisi omnipotentis patris unigenitus incarnatus? Qui voluntatem patris sui facere venit quia per incarnationis suae mysterium sic inter peccatores apparuit, ut et similitudinem carnis peccati in se humiliter gereret et tamen pro similitudine carnis peccati non haberet. Cui domum fidelem pater aedificavit, coelestem videlicet et aeternam ierusalem; quam idem speciosus forma, quia usque ad mortem passioni succubuit et ex ipsa corruptione in incorruptionem convaluit, per resurrectionem et ascensionem suam hominibus | (fol. 105 a) replevit. Quod et alio sensu dictum per figuram accipimus. Domum fidelem aedificavit pater filio suo, corpus videlicet beatæ virginis Mariae, de cuius utero

processit in mundo tanquam sponsus de thalamo suo.

Sed fortasse quorundam corda movet quomodo de styrpe aaron redemptor noster descendit, cum de tribu iuda beata Maria exorta sit; summusque sacerdos aaron non de iuda sed de progenie levi carnis originem duxerit. Ad quod respondendum quod aaron uxorem acceperit elisabeth, filiam aminadab, sororem naason, qui tenuit principatum in tribu iuda; sicut in libro numeri scriptum est. De qua exorti sunt filii eius ithamar et eleazarus, cuius eleazari filius finees fuit, qui zelo dei accensus iram eius placavit gladio et iccirco iusticia eius manet in aeternum. Ex quorum propagine mater regis et pontificis nostri Maria descendit; in cuius origine et regia maiestas et sacerdotalis dignitas convenit, quam ex precedentium patrum gloriosa successione contraxit. Cuius generationis sacramentum divinitus aperiens ysaias: „exiet“, inquit, „virga de radice iesse, et flos de radice eius ascendet.“ | (fol. 105 b) Virga autem de radice iesse beata est virgo Maria, de populo

israel et familia david, hodierna die concepta et certo die temporis ad salutem totius orbis deo dispensante exorta.

De cuius gloriosae integritatis virginali utero processit flos campi et liliū convallium in mundo tanquam sponsus de thalamo suo, spirans in toto humano genere odorem vitae, dissolvensque inimicitias in carne sua, et faciens fructum immortalitatis aeternae. Et haec est solennitatis hodiernae laetitia ineffabilis, in qua angelo nuntiante matrem domini Mariam genitrix anna concepit, sicut eam ante tempora secularia ut ex ea nasceretur in sapientia sua sol iustitiae praelegit. Quod itaque, dilectissimi, tot et tantis antea seculis de beata Maria divina enuntiaverant oracula et multimoda designaverant in mundo miracula, gloriosae conceptionis eius ostendit solennitas hodierna. Hodie lutum illud moabitidis ollae ex massa praevaricationis adae ad opus figuli assumptum est, ex quo christus de carne et veritas de terra orta est. Quod bene in verbis balaam animadvertere possumus, si ea quae spiritu sancto revelante protulit, mystica| (fol. 106a),

ut decet, discutere interpretatione studeamus. Nec estimet me quisquam ut arguat verba spiritus sancti quasi depravando ad sensum meum inflectere, quia licet sententia proprie de domino nostro ihesu christo dicta sit, absurdum tamen non erit de beata virgine Maria eandem veritatem prolatam accipere. „Orietur“, inquit, „stella ex iacob, et exurget homo de israel, et percutiet duces moab et erit idumea possessio eius.“ Stellam hanc, dilectissimi, ex semine iacob hodierna die conceptam, beatam intelligimus virginem esse Mariam, cuius ortus et vita tanti luminis claritatem habere meruit ut ex ea sol iusticie incarnatus non solum homo supra homines sed homo etiam ultra angelos factus sit. Moab autem ille est qui ex loth et filia eius immunda commixtione natus est in spelunca tenebrosa; et interpretatur ex patre, quia significat populum gentium qui oblitus est dominum patris sui ut serviret cultibus idolorum.

De cuius origine nata est femina illa virtutis, ruth videlicet moabitis, quae reliquit deos gentium et errores eorum et

omnem populum suum et sortita est propinquitatis iure hereditatem in terra israel, ex cuius successione concepta est hodierna | (fol. 106 b) die beata virgo Maria. Quam misericordiam domini de longinquo venientem et quasi ex adverso humano generi profuturam plaudebat, qui dicebat: „Iuda rex meus: moab olla spei meae.“ Rex noster christus est, qui de tribu iuda leo fortis exortus est. Iudas autem confessio sive confitens est. Per regem itaque nostrum si praecesserit confessio, sequitur spei nostrae aeterna in coelis retributio. Iccirco moab olla spei nostrae dicitur, quia in ruth ex eadem propagine per uterum virginis caro redemptoris prodiit, cuius tanquam testa in passione virtus exaruit, et per tribulationes sicut olla igne succensa efferbuit; qui primus nobis aeternae patriae spem et gratiam in sua resurrectione monstravit. Et bene olla spei nostrae dicitur beata virgo Maria, quia fictilis, quia testacea, quia ex massa praevaricationis adae plasmata. Quae ardore spiritus sancti concremata, et quasi opus figuli in fornace virtutum tota de-

cocta, unigenitum dei filium genuit ex sua carne carnem factum, qui ceterorum fictilium ruinam restauraret vasorum. Qui bene duces moab percussit, quia principes et reges gentium qui idolatriae [sic] subditi fuerant a vetustate viciorum mortificavit, et in verae vitae | (fol. 107a) novitate misericorditer reformavit. Cuius possessio idumea extitit, quia corda terrena cedibus et strage foeda atque sanguinea per praedicationem evangelii sibi subiugavit. De quo propheta ysaias: „Dominus venit in aegyptum super nubem levem et confringentur idola aegypti.“ Nubis autem istius nomine videtur mihi propheta sanctam virginem Mariam significare. Quae utique levis et nullo humano semine praegravata venit in mundum et secum portat mundi creatorem et dominum. Venit dominus atque salvator in aegyptum istam in qua nos sumus, in loco tenebrarum. Qui confregit idola aegypti et contrivit, quoniam sacrilegos cultus daemoniorum in toto orbe destruxit, et nos de tenebris in admirabile lumen suum per humilitatem quam de virgine sumpsit vocavit. Quando

vero beata virgo Maria concepta est in mundo, conceptus est statim in illa dominus per praescientiam; quem postea obumbrante spiritu sancto concepit et peperit contra humanae consuetudinis ordinem et naturam. In qua conceptione et partu abscisus est lapis ille de monte sine humano opere, qui de ea natus est sine virili commixtione. Hic factus est in caput | (fol. 107b) anguli coniungens duos parietes ex diverso venientes et faciens de duobus unum. Qui in tantum crevit, ut mons magnus fieret et impleret universam faciem terrae. Implet terram factus ipse de terra. Terra illa quae spinas et tribulos germinare solet, fructum salutis et vitam produxit. Terram quae maledicta est in opere adam benedixit deus, et avertit per eam captivitatem nostram. Terra ista dedit fructum suum. Terra ista beata est virgo Maria, de nostro semine, de hoc luto, de hoc limo, de adam. Terra ista dedit fructum suum. Quod in paradiso perdidit, in filio virginis invenit. Primum dedit florem et postea fructum. Iste ergo flos fructus factus est ut nos illum comederemus, ut

panem angelorum manducaret homo. Vultis scire quis sit iste fructus? Virgo de virgine, dominus de ancilla, deus ex homine, filius ex matre, fructus ex terra. Terra illa de qua primo homini dictum est, terra es et in terram ibis; ipsa per partum gloriosae virginis Mariae in coelum cum tripudio ivit; immo potius ascendit; atque ascendendo captivitatem nostram ad coelestia secum sua virtute sublevavit. Omnium enim beneficiorum et miserationum domini quae operatus | (fol. 108a) est in mundo praecessit exordium, sanctae virginis Mariae hodierna conceptio. Haec est enim porta respiciens ad orientem, de qua ortus est vir cuius est oriens nomen eius, et de quo dominus per zachariam prophetam dixit: „Ecce mittam ad orientem servum meum.“ Et in ortu praecursoris domini visitavit nos, inquit pater eius, oriens ex alto. Quam ezechiel perpetuo virginitatis signaculo clausam videre meruit. De cuius utero imperator coelestis sibi palatium in terra fabricavit in quo novem mensibus tota divinitatis plenitudo permansit. Ex cuius castis mun-

disque visceribus dei verbum, per quod facta sunt omnia, immaculata se carne vestivit, ex illoque coelesti gazophilacio summam traxit unde nostrae paupertatis inopiam copiosa liberalitate ditavit. Ex illo, inquam, aerario divitiarum copias attulit quibus communem tocius mundi salutem operari misericordi dispensatione providit. Et quod illam hodierna die divinitus illustrata iudea concepit, ad squalentia humanarum mentium irriganda deserta deus fieri voluit, et ad proferenda bonorum operum tanquam novarum segetum germina, |(fol. 108b) uberrima fertilitate fecundavit. Agamus itaque gratias omnipotentis dei misericordiae quoniam hodie habitator coeli sibi in terra habitaculum elegit, quanquam ante secularia tempora in providentia sua dispositum atque praelectum fuerit. Hodie sapientia dei patris temporalem sibi domum fundare coepit, quamvis sine initio in dispositione creatricis omnipotentiae, consilio sanctae trinitatis, eam ab aeterno fundatam habuerit.

Et haec est domus illa septem columnis aedificata, septem sancti spiritus carismati-

bus repleta. Quam cum rex david in ierusalem aedificare disponderet prohibuit eum sermo domini, dicens de lumbis eius egressurum qui aedificaret domino domum. Cui cum iam salomon natus fuisset qui postea aedificavit templum priusquam sermo domini per nathan prophetam factus esset ad david, patet profecto quod de eo dictum hoc non accipitur, sed de vero salomone pacifico, scilicet nostro, cui sic prophetia olim praemissa significabatur. „Homo natus est in ea et ipse fundavit eam altissimus.“ Beata talis ac tanta fundatio, beata talis atque tanta nativitas, in qua filius matrem suam fundavit, et filia patrem suum, et ancilla dominum generavit. | (fol. 109a) Hanc itaque sententiam de beata Maria fideliter prolatam intelligere possumus; quamvis secundum vocem redemptoris nostri ad iudeos de templo corporis sui expressam catholice teneamus. Quae non immerito de filio et matre dicta potest intelligi, quoniam et caro christi de carne Mariae traxit originem, et beata dei genitrix hodierna die concepta aedificii coelestis incepit obtinere dignitatem. Hanc

ergo domum noster salomon aedificavit in visione pacis id est in ierusalem; quia beata virgo Maria ex semine david regis progenita humano generi per fructum ventris sui coelestis regni aditum patefecit perhennem. Et haec est illa gloriosa archa in tabernaculo testimonii reposita, quae nequaquam nobis manna in deserto huius seculi protulit, sed panem angelorum omnibus praedestinati ad vitam virgo puerpera concepit et genuit. Quae iuxta propiciatorium nostrum in coelo collocatur, cui duo cherubim, duo videlicet testamenta versis vultibus inclinantur. Propter quod, dilectissimi, competentibus gaudiis de collata per eam salute laetemur; diemque festum conceptionis dominae nostrae solenni tripudio veneremur. Sicque inter mutantis vitae sinuosa volumina, | (fol. 109b) inter profunda et spaciosa huius magni maris naufragia, inter procellosas fluctuantis et periclitantis mundi tempestates, inter scilleae voraginis et diabolicae caribdis infinitas temtationes, respiciamus ad hanc maris stellam in summo coeli cardine fixam. Respiciamus ad hanc hu-

manae salutis baiulam, respiciamus ad hanc dominam nostram, et offeramus ei orationes laudumque sacrificia, ut nobis in extremo examine sit mater misericordiae et contra inimicorum insidias adiutrix propicia. Quae secundum ethimologiam nominis sui sit nobis et omnibus eam diligentibus stella aeternae claritatis, ut luceat et omnes eam venerantes per viam salutis inoffensis vestigiis ita alacres incedere faciat, ut ad portum tranquillitatis aeternae felici cursu perducatur, ipso adiuvante quem virgo inviolata concepit, ipso praestante quem sine dolore mater immaculata genuit, ihesu christo deo et domino nostro; cui sit cum patre et spiritu sancto gloria et imperium per omnia secula seculorum. Amen.



APPENDIX D.

BENEDICTIO IN CONCEPTIONE SANCTE MARIE.

(Ex codice Musei Britannici ms. Addit. 28188, ante annum 1050
exarato fol. 189b—190a¹.)

Sempiterna(m) a deo benedictionem vobis
beate Marie virginis pia deposcat supplicatio,
quam concipiendam omnipotens, ex qua
eius conciperetur Unigenitus, angelico de-
claravit preconio, quam et vobis iugiter
suffragari benigno, ut est benignissima
sentiatis auxilio. Amen.

Quique illam ante conceptum presigna-
vit nomine Spiritus Sancti obumbratione,
vos divinam gratiam mente annuat con-
cipere in sancte Trinitatis confessione at-

¹ Hoc Pontificale, teste viro clarissimo Edmundo Bishop
cuius secutus sum apographum, ad Leofricum, Exoniensis
Ecclesiae episcopum, pertinuisse videtur.

que ab omni malo protectos deifica confirmet sanctificatione. Amen.

Sancta vero dei genitrix Maria vobis a deo pacis et gaudii optineat incrementum, ut quibus felix eiusdem beate virginis partus extitit salutis exordium, sit etiam ipse Ihesus Christus premium in celis vite permanentis sempiternum.

Quod ipse prestare dignetur (qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et gloriatur deus per omnia secula seculorum. Amen.

Benedictio dei Patris, et Filii et Spiritus Sancti, et pax Domini sit semper vobiscum).

BENEDICTIO IN DIE CONCEPTIONIS SANCTE DEI GENITRICIS MARIE.

(Ex codice Musei Britannici, ms. Harleian. 2892 fol. 161, ante annum 1066 exarato¹.)

Coelestium carismatum inspirator terrenarumque mentium reparator, qui beatam dei genitricem, angelico concipiendam preconavit oraculo, vos benedictionum suarum ubertate dignetur locupletare et virtutum floribus. Amen.

¹ Codex in usum Ecclesiae Cantuariensis exscriptus fuit.

Et qui illam prius sanctificavit nominis dignitate quam edita gigneretur humana fragilitate, vos virtutum copiis adiuvet pol-
lere, et in nominis sui veneranda confes-
sione¹ infatigabiliter perdurare. Amen.

Obtineat vobis gloriosis intercessionibus prospera tempora, iocunda et pacifica, et post presentia secula gaudia sine fine ma-
nentia, cuius veneranda conceptionis fre-
quentamini magnifica sacramenta. Amen.

Quod ipse prestare dignetur etc.

[ORATIONES IN FESTO CONCEPTI- ONIS BEATAE MARIAE.]

(Ex Missali Leofrici episcopi [ms. Bodleian. 579], ante annum
1066 exarato².)

VI. id. decembres. [Conceptio s. mariae
virginis.]

[*Collecta.*]

Deus, qui beatae mariae uirginis con-
ceptionem angelico uaticinio parentibus
predixisti, presta huic presenti familiae
tuae eius presidii muniri, cuius concep-

¹ confessione ms.

² Videsis „The Leofric Missal“, ed. Warren, p. 268.

tionis sacra solemnia congrua frequentatione ueneratur. Per.

Secreta.

Sanctifica, domine, muneris oblatis libamina, et beatæ dei genitricis saluberrima interuentione nobis salutaria fore concede. Per.

Ad complendum.

Repleti uitalibus alimoniis, et diuinis refecti mysteriis, supplices rogamus, omnipotens deus, beatæ mariæ semper uirginis, cuius uenerandam colimus conceptionem, pia interuentione a squalorum erui inmanium dominatione. Per.



APPENDIX E.

DE CONCEPTIONE SANCTAE MARIAE QUALITER PRIMO CELEBRANDI HABUIT INITIUM ¹.

(Ex codice Musei Britannici Cotton., Vitellius A. XVII
fol. 99b—101 b.)

Tempore illo quo divinae placuit pietati
anglorum gentem de malis suis corrigere,
et suae servitutis officiis artius astringere,
gloriosissimo normannorum duci willelmo

¹ Narratio haec, quam edidit Gerberonius inter opera spuria S. Anselmi, non raro in codicibus occurrit sub titulo *Sermo sive Epistola B. Anselmi de Conceptione beatæ Mariae*. Textus quem hic descripsi, licet inter epistolas Osberti de Clara institutus et sermoni eiusdem supra impresso (in appendice C) fraudulenter praemissus, manu tamen saeculi XII exeuntis exaratus videtur. Credo hanc redactionem antiquioris aetatis esse ea quam vulgavit Gerberonius. Notandum est hic deesse prologum in editione Gerberonii narrationi praefixum. E contra hic textus exhortatione qualicunque concluditur, cuius apud Gerberonium vestigia tantum servantur.

eandem patriam debellando subegit et eius virtute ac industria totius ecclesiasticae dignitatis | (fol. 100a) officia in melius reformavit. Huius intentionis operibus invidens ille bonorum omnium inimicus diabolus tum familiarium fraudibus tum extraneorum incursibus multociens conatus est obsistere successibus. Sed domino protegente et timentem se regem glorificante ad nichilum deductus est inimicus. Audientes autem daci angliam subiectam esse normannis, graviter indignati, se suo quasi haereditario iure privari, arma praeparant, classem aptant, ut eos adeuntes a data sibi divinitus patria expellant. Hoc comperto, rex prudentissimus Elsinum quendam religiosum abbatem ramesiensis coenobii accersitum in daciam dirigit, ut inquirat huius rei veritatem. Et ille, ut vir admodum sagacis ingenii, strenue negotium regis exequitur. Quo fideliter peracto, ad angliam reverti cupiens, mare ingreditur; et iam maximam partem maris prospero cursu transierat cum subito densis surgentibus undique ventis horrida tempestas coelum | (fol. 100b) commovit et undas. Fatigatis igitur nautis nec ultra obniti va-

lentibus, fractis remis, funibus ruptis, cadentibus velis, spes salutis amittitur, nichil nisi submersionis iudicium miserabiliter expectatur. Cumque de corporum salute desperantes animarum solummodo curam creatori suo magnis clamoribus commendarent, et beatam dei genitricem Mariam, miserorum scilicet refugium, et desperatorum spem, devote inclamarent, ecce subito conspiciunt quendam reverendae habitudinis virum, pontificali infula decoratum, quasi inter undas stantem navi propinquum. Qui advocans ad se abbatem Elsinum hiis verbis coepit compellare eum: „Vis“, inquit, „periculum evadere? Vis in patriam sanus ire?“ Cumque ille cum fletu se id toto corde desiderare, id solum expetere responderet, tunc ille: „Scias“, inquit, „me ad te a domina nostra, genitrice dei maria, quam tam dulciter inclamasti directum; et si dictis meis obtemperare | (fol. 101 a) volueris, sanus cum comitibus tuis evades imminens periculum maris.“ Spondet illico ille se ei in omnibus obtemperaturum, si hoc evaderet naufragium. „Promitte“, inquit, „deo et mihi, quod diem conceptionis matris

christi solempniter annuatim celebrabis, et celebrandum tenebis.“ At ille, ut vir prudentissimus: „Et quis“, inquit, „dies mihi hoc festo erit celebrandus?“ „Sexto“, ait, „idus decembris, hoc festum solempnizandum tenebis.“ „Et quo“, inquit abbas, „servicio utemur in ecclesiastico officio?“ „Omne“, inquit, „servicium quod dicitur in eius nativitate dicetur et in conceptione, excepto quod nomen nativitatis mutabitur nomine conceptionis.“ Hiis dictis disparuit, et cicius dicto sedata tempestate, abbas cum suis incolumis concito flatu anglicis littoribus applicuit, et quae viderat et audierat quibus potuit notificavit. Statimque in ramesiensi coenobio idem festum solempniter celebrari constituit, et ipse quoad vixit devotis obsequiis illud celebravit. Et nos ergo, fratres dilectissimi, | (fol. 101 b) si mundi maris voraginem declinare, si portum salutis volumus apprehendere, dei genitricis conceptionem devotis obsequiis celebremus, sinceris mentibus honoremus, ut ab eius filio digna mercede remuneremur, quem in matris honore veneramus. Eius namque conceptio salutis est inceptio; quia

illa concepta est hodie naturali patris et matris operatione, quae conceptura erat deum et hominem sola spiritus sancti obumbratione; qui per hoc quod de illa assumpsit redemit nos ab aeterna damnatione et transtulit in regnum claritatis suae. Cuius regni consortio dignos nos faciat dei genitricis oratio, annuente eius filio ihesu christo, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat sine termino. Amen ¹.

¹ Haec narratio de abbate Elsino absque dubio interpolata est in codice (Vitellius, A. XVII); quod quidem olim insinuavit vir clarissimus Edmundus Bishop (cf. The Downside Review 1886, 116). Quod si de hac interpolatione prius dubitaverim (cf. The Month, December 1891, 462), mihi rem maturius perspicienti modo aliter visum est. In illis enim duobus foliis (100 et 101) apicum forma (exemplo sit contractio illa quae respondet voci *et*) est prorsus diversa. Redit vero prior manus, completa de Elsino narratione, in fol. 102. Interpolatoris characteres, iudicio quidem tum eiusdem Edmundi Bishop, in his studiis peritissimi, tum manuscriptorum curatoris J. A. Herbert, saeculo XII desinenti tuto assignari possunt.



APPENDIX F.

[EADEM NARRATIO AUCTORE ANSELMO BURIENSI(?)¹.]

(Ex codice Cleopatra C. X in Museo Britannico, saec. XII exarato
fol. 138 b cum aliis codicibus eiusdem aevi collato, scil.
Add. 35,112; Arundel 346; et C.C.C.C. 42.)

Tempore quo normanni angliam invaserunt erat quidam abbas elsinus nomine constitutus in ecclesia sancti augustini anglorum apostoli, in qua ipse requiescit ceterique successores eius. Angliam autem subiectam normannis audientes daci², arma praeparant ut ad eiciendos eos ab anglia convenirent. Cumque talia dux potentis-

¹ Haec narratio, sicut in praefatione iam expositum est, mihi earum omnium antiquissima videtur, quae celebre illud factum abbatis Elsinii memoriae prodiderunt. Varias lectiones, cum parvi sint momenti, hic annotare non operae pretium iudicavi.

² i. e. Dani, incolae Danemarkiae seu „Daciae“, sicut in narratione praecedenti scribitur.

simus normannorum willelmus audisset, elsinum supradictum abbatem accersitum in daciam destinavit, ut inquireret si huius rei fama vera esset an falsa. At ille concitus in daciam venit peracturus iussa regis, atque se obtutibus praesentavit regis, deferens ei munera missa a rege willelmo, ibique detentus est tempore non parvo. Postquam ibi fecisset multum temporis petitam a rege licentiam redeundi accepit; mareque ingrediens cum sociis, veloci cursu pervolat equora ponti. Cumque sic cum quiete navigarent, ecce subito tempestas valida in mari exorta est, et cum spes salutis sive evadendi abesset, conversi ad dominum sic flagitabant auxilium: „O deus potentissime, miserere nostri in hoc examine, ne maris tempestate absorpti sortiamur poenas eternas.“ Cumque talia et multa similia perorassent ecce subito quendam conspiciunt virum pontificatus infula decoratum proximum navi, qui convocans ad se elsinum abbatem his eum verbis affatur: „Si periculum maris cupis evadere, si in patriam vis sanus redire, promitte mihi coram deo quia conceptionis matris

christi diem solemniter celebrabis et observabis.“ Tunc ille: „Quomodo“, inquit, „faciam, vel in quo die?“ Nuntius inquit: „In VI idus decembris die celebrabis, et predica ubicunque poteris quatinus ab omnibus celebretur.“ „Et quali“, inquit, „servicio iubes uti in hoc festo?“ Cui ille: „Omne servicium quod dicitur“, inquit, „in eius nativitate, dicetur et in conceptione. Sic ubi *natalitium* in nativitate dicitur, *conceptio* in hac celebritate dicitur.“ Postquam autem talia abbas audisset vento prospero flante anglicis littoribus adiungitur. Mox cuncta quae viderat vel audierat quibuscunque potuit innotuit, statuitque in ramesiensi ecclesia cui ipse preerat ut hoc festum omni anno solempniter VI idus decembris celebraretur. Ipse vero quamdiu vixit solempniter ac devote celebravit. Celebratoribus huius solempnitatis diei detur a filio ipsius virginis pax et longa salus, et post transitum huius vitae aeterna requies concedatur in qua ipse regnat in secula. Amen.



APPENDIX G.

[NARRATIO EADEM DE ELSINO ABBATE AUCTORE GULIELMO MALMESBURIENSI¹.]

(Ex codice 240 Collegii Balliolensis, Oxonii, saec. XIII
exarato.)

DE EGELSIO ABBATE.

Willelmus ex comite normanniae rex
angliae factus, rumore adventuri cnuthonis
regis danorum mordaci cura commotus,
egelsium quendam, abbatem ramesiae, fa-
mosae facundiae nec exilis religionis virum,
danemarchiam misit, qui si verus rumor

¹ Gulielmus Malmesburiensis, qui inter celeberrimos Angliae
chronistas fere primatum obtinet, circa annum 1143 obiisse
videtur (cf. *The Dictionary of National Biography* LXI 352).
Desumpta est haec narratio ex collectione miraculorum, quam
ipse novo ordine distribuit et stylo elegantiori redegit. Videsis
Mussafia, *Marienlegenden* IV, in: *Sitzungsberichte der k. k.*
Akademie der Wissenschaften zu Wien, Phil.-hist. Klasse
vol. CXXIII.

esset quolibet ingenio elideret, si falsus renuntiaret. Ille imperatis non segniter insistens, deque matris quam praecipuis excolebat officiis tutus auxilio, felici ultra mare evector est aura. Ibi monstratum est quantum facundia valuit, dum ille solus et alienigena, potenti persuasione verborum mutavit atrocem animum regis barbari iam parati iamque profecti. Nec vero beatissimae mariae crediderim defuisse suffragium, cuius defensione abbas per omnia tutus, et quod intendebat efficere et incolumis potuit repatriare; quamvis hostilis temptatio, fortunatum itum et reditum virginis vernaculo invidens, in medio pelago temptasset laeticiam viri contristare. Namque cum sereno aere in altum provectori successus suos laeti urgerent, subito perfidia ventorum omnia immutata. Dies opaluit, nox ingruit, omnia elementa coniuncta rabiem effundunt. Nautae contra quemcunque poterant (nisum?) obicientes omnia artis emolumenta inaniter consumunt. Tum desperato humano remedio in vota itum; inclamatur quicquid putatur et scitur sanctum, vociferante praecipue

abbate sanctam mariam adiutricem suam, protectricem suam, patronam suam. Nec diu potuere cessare illa pietatis viscera, nec diu tardavit quae nulli vocanti est tarda. Cum enim ille inter spem et metum dubius fluctuaret vidit supra mare ambulantem hominem formam antistitis veste et vultu praeferentem. Ad quem cum anxius intenderet ille propius accedens, „Si vis“, inquit, „deliberari periculo, voveto te sanctae mariae celebraturum eius conceptionem omni anno.“ Percunctanti diem et officium, diem VI idus decembris renuntiavit, officium idem quod in nativitate fieri soleat mutato verbo *nativitatis* in *conceptionem*. Tunc abbas cum libenter annuens gaudio exilisset alter evanuit. Serena temperies rediit, venti contrarii in obsequium reversi navem ad litus angliae semsim famulantibus undis appellunt. Egelsius ubicunque locorum potuit, et nominatim in ramesiae coenobio ubi tunc morabatur, festivitatem illam fieri edocuit in laudem genitricis dei et domini nostri iesu christi, quae omnes se venerantes apud deum protegat. Amen.



APPENDIX H.

[NARRATIUNCULARUM SPECIMINA
QUAEDAM, QUIBUS SIMPLICIBUS
ET RUDIORIBUS SUADEBATUR, UT
FESTUM CONCEPTIONIS BEATAE
MARIAE CELEBRARENT.]

(Ex „Mariali magno“, quod continetur in codice 167 Collegii
SS. Trinitatis Dublinensis, saec. XIV exarato fol. 2b—3a.)

FESTUM CONCEPTIONIS BEATAE MARIAE
CELEBRARE NOLENS AB IPSA CORRECTUS
POSTEA ILLUD CELEBRAVIT.

Narratur a fide dignis quod magister
Alexander Necham¹ frequenter assere-
re consuevit quod conceptio beatae Mariae
celebrari non debuit, et ad confirmationem
opinionis suae omnes quas potuit rationes
induxit. Cum autem quadam die in hora

¹ Alexander Neckam (1157—1217), aliquando iocose dictus
Alexander Nequam, celebris doctor fuit Anglus.

EX LIBRIS 7*

P. AMBROSII POCEK

matutinali in lecto quiesceret dictus magister, apparuit ei beata Maria. Cui sic increpando locuta est: „Cur me persequeris? Cur sollempnitatem conceptionis meae impedire niteris? Ad hoc enim ingenium tuum et studium hucusque direxisti. Quod si de huiusmodi temeraria presumptione cessare nolueris, scito quod graviter punieris.“ Quo audito cepit omnes assertiones suas revocare et eandem conceptionem sollempniter celebrare.

FESTUM CONCEPTIONIS BEATAE MARIAE
VIRGINIS QUIDAM VIDENS INTER PRAE-
CIPUA FESTA CONSCRIPTUM POSTEA
VOTIVE CELEBRAVIT.

Retulit quidam vir religionis, dono sapientiae et scientiae praeditus, de quodam sacerdote cognato suo, quod dum ille sacerdos propter opinionem quorundam nullam proposuisset mentionem in die conceptionis beatae Mariae virginis, dei genitricis, de ipso festo facere, sed illud festum sicut simplicem feriam pertransire, et alios etiam a celebratione voluit impedire; ecce, nocte eadem, scilicet conceptionis beatae

virginis, talem habuit per sompnum visionem. Videbatur enim ei cuidam nobili congregationi hominum interesse, ubi quaedam venerabilis persona scribebat festa per totum annum sollempniter celebranda. Tunc sacerdos desiderium habens scire si festum conceptionis esset ibi inter praecipua festa anni, accessit ad librum illum ubi alius scripserat festa et invenit in libro illo festum conceptionis beatae Mariae ante omnia alia festa praecipua anni literis aureis esse scriptum. Unde sacerdos exultans de cetero festum conceptionis beatae Mariae sollempniter celebravit et ad celebrationem alios provocavit.



APPENDIX I.

[NOTULA DE ANSELMO ABBATE S. EADMUNDI.]

(Ex ms. Harleian. 1005, fol. 217 b et 218 a b.)

Anselmus abbas ortus fuit in langobardia et monachus monasterii s. michaelis quod clusa vocatur effectus, et post ad angliam ductus iussu dompni anselmi, avunculi sui, cantuariensis archiepiscopi, usque ad mortem eiusdem in monasterio degit cantuariensi. Exinde propriam ecclesiam visitans et romam veniens a domino papa paschali ordinatus est abbas monasterii sancti sabae in urbe roma. Deinde cum impetrasset ab ipso papa pallium archiepiscopo cantuariensi radulfo, quod nequiverat ipse impetrare quia communicasset dampnato imperatori henrico, toti anglie


legatus destinatus est et cum honore a rege et archiepiscopo et a tota anglia susceptus est. Peracta vero legatione ad papam regreditur, nec multo post idem papa ab eodem rege interpellatur quatinus eundem anselmum concederet sibi in anglia ad episcopatum summonere. Quo tandem a papa concesso anselmus eius iussu ad angliam rediens, et huius expectatione quamvis invitus illic residens, abundanter de rege sibi et suis munera accipiens, et interim in monasterio sancti edmundi post mortem aleboldi abbatis mansionem accipiens, ita carus pro sapientia sua illic est habitus ut rex in abbatem eum eligeret, sicque a papa concesso anulo et baculo, pro episcopatu qui sibi promissus fuerat, abbaciam sancti edmundi, episcopalis dignitatis, suscepit regendam. Erat autem familiarissimus summis pontificibus maxime pascali, calixto, innocentio, lucio et eugenio, ut privilegia ab eo data testantur, et omnem dignitatem et honorem pontificis praeter haec quae sine unctione olei non possunt fieri illum decreverunt habere, scilicet anulum, mitram et sandalia. Hic anselmus

duas apud nos solemnitates instituit, scilicet conceptionem s. marie que iam in multis ecclesiis per ipsum celebriter observatur, et commemoracionem eius in adventu, quam hildephonsus instituit; et cotidie unam missam de ea, et post canonicas horas alias in honorem eius celebrandas decrevit¹.

¹ Hanc notulam ex parte edidit saepe laudatus Edmundus Bishop, l. c. 116, quam tamen prius indicaverat Dom Bonifacius Wolff, monasterii Maredsolani alumnus, in: Studien und Mittheilungen aus dem Benediktinerorden 1885, I 23.



46702







R100462670

THE MARIAN LIBRARY, U.D.